

75  
7

DISSERTATIO ACADEMICA:

QVA,

SVMMAS INTER

LAVDATIONES AC VITUPERATIONES

OLIM HODIEQVE VERSANTI

DOCTRINAE  
METAPHYSICAE,

SEPOSITO PARTIVM STUDIO,

EA QVAE IVSTA SVNT VISA

MODESTE ASSERVNTVR,

DE QVE IPSIVS NATVRA, VSV, PRETIO ET CVLTV,

NON NIHIL

PRO TEMPORIS CONDITIONE AGITVR.

QVAM

PRÆSIDÈ

IOH. CHRISTIANO LANGIO,

PHILOSOPHO AC PROFESSORE P. ORDIN,

IN ACADEMIA GISSENA

D. XXIV. MARTII A. MDCCVIII.

Pro virium modulo

*Ex cathedra defendendam suscipiet*

RESPONSVRVS

PHILIPPVS CASIMIRVS SCHLOSSER,

WEILBVRGO-NASSOVIVS.

GISSAE-HASSORVM,

Typis HENNINGI MULLERI.

a. LXVI. 71.

diss. A  
71

# VIRIS

*Pietate, eruditione, officiorum dignitate, & variarum virtutum laude conspicuis, operariis in diuersis vineae Christi partibus fidelissimis occupatissimis, indeque ex Scripturae monito duplici honore dignis,*

**DN. M. PHILIPPO CASIMIRO SCHLOSSER,**  
Metaphysicae antehac & Logicae in alma hac Ludouiciana Professore, iam Ecclesiae nostrae Euangelicae Marpurgensis Pastori Primario, & omnium eo spectantium Superintendenti, meo ex S. Baptismatis fonte susceptori.

**DN. M. JOHANNI PHILIPPO SCHLOSSER,**  
Ecclesiae Lutheranae Heidelbergensis Pastori Primario, & Consistorii Electoralis Euangelico-Lutherani Assessori & Consiliario.

**DN. LVDOVICO HENRICO SCHLOSSER,**  
Ecclesiae Francofurtanae ad Moenum Pastori.

**DN. PHILIPPO REINHARDO SCHLOSSER,**  
Pastori Greuen-Wisbacensium in Principatu Nassouio-Vsingeni, Patruo meo.

**DN. JOHANNI NICOLAO SCHLOSSER,**  
Pastori Weilburgensi & Scholae Rectori, Parenti meo.

**DN. LVDOVICO GEORGIO SCHLOSSER,**  
Ecclesiae, quae Christo Saraeonti in Westriacis seruit, Pastori.

**DN. JOHANNI GEORGIO SCHLOSSER,**  
Ecclesiae itidem Saraepontanae Symmystae & Scholae Rectori, Patrueli meo.

*Agnatis meis, utpote beati mei proani M. JOHANNIS SCHLOSSER, Elpenroda Hassi, Ecclesiae Nassouio Saraepontanae Antistitis & Superintendentis, (qui magni EBELII, Metaphysices & Logices in hac Gissenae Professoris celeberrimi, Praeceptor fuit, magni semper ab ipso habitus.) nepotibus & pronepotibus non degeneribus, aetatem & absque specioso titulo ~~in~~ typho sincero corde mihi venerandis, primitias has speciminum Academicorum publicarum,*



*Ea qua par est animi submissione & obseruantia dicat*

**PHILIPPVS CASIMIRVS SCHLOSSER,**  
Weilburgo-Nassouius.

PRAEFATIO:

in qua Generalis pariter ac Specialis Instituti  
huius Ratio exponitur.

Q Uam celebre ac frequens DOCTRINARVM DISCIPLINA-  
RVMQVE nomen in Scholis Academiisque & aliis quibus-  
cunque Eruditionis humanae Officinis esse deprehenditur: tam  
iucundum & amabile illud esse percipimus humanis mentibus;  
quippe quae inuito ac natio sciendi desiderio ad haurienda  
variae siue *Doctrinae* siue *Disciplinae* praecepta & dictamina feruntur.  
Nam, (quod vere Aristoteles in ipso Librorum Metaphysicorum exordio  
pronuntiat,) πάντες ἄνθρωποι τῆ εἰδέναι ὀρέγονται φύσει. Ac, licet vel per  
ipsum *Rerum sensum* atque *Vsum*, qui nobis quotidie obtingit, & quo  
dies diem docet, ad multifariam notitiam scientiamue publica quasi via  
nobis pateat: maiora tamen ac singularia quaedam exinde speramus com-  
moda, si *Disciplina* quoque aut *Doctrina* nobis subueniat, rerumque sensu  
& usu percipiendarum perceptarumue ἐπιτύπωσιν, ad solidae *Experien-  
tiae* rectaeque *Rationis* dictamina exactissime conformatam, tumque &  
ordinatissime compositam, ac multis aliis modis ad solidam facilemque  
cognitionem prudentissime constructam, nervosa & iucunda breuitate  
nobis exhibeat. Quae in re, haud temere à nobis contemnenda, quo plura  
esse possunt, quae sub boni cuiusdam specie nos fallant, nostramque spem  
frustrentur: eo maior sane cura hic erit adhibenda, ne specioso quocunque  
*Disciplinarum titulo* decipiamur. Non enim solum *discere* hic satis est; sed  
videndum quoque, *quid & quomodo* discendum: quia caecitas nostra & per-  
uersitas verum sciendi discendique finem atq; modum per saepe aut nescit, aut  
negligit. Quocirca homines probi, ac verae Sapientiae studia profitentes,  
in eo laborare potissimum debent, ut per παιδείας ad dictae Sapientiae Le-  
ges accuratissime conscriptas, (quarum *Necessitas & Vsum* ipsi quoque Ari-  
stoteli quodammodo perspecta fuit,) Disciplinis omnibus & *iusta* sua  
constituant *pretia*, & *iustos* in eum finem praescribant *terminos* ac *modos*; se-  
cernendo ea, quae ad honestum piumque vitae Scopum vere *Vtilia* sunt, à  
*damnosis & inutilibus*, itemque *necessaria* à *superuacaneis & minus necessariis*.  
Id quod ex monito virorum sapientum tanto quidem curatius deberet  
obseruari; quanto certius est, ad studiorum nostrorum probitatem non  
sufficere, ut ea honesto pioque vitae scopo fortasse non contrarientur,  
nisi

nisi quoque ad eum consequendum omnino sint proficua; neque sufficere etiam, ut *tantum* sint proficua, nisi & ex commoditatis ac aliarum circumstantiarum ratione sint perinde necessaria, sicque necessitatem commoditatemque cum utilitate habeant coniunctam. *Speciatim* vero & circa METAPHYSICAE DOCTRINAE *genus* diligentia ista adhuc magis magisque impendenda esset: utpote quae disciplina, postquam ab Aristotele praesertim eiusque sequacibus in aliquam doctrinae formam est redacta, *miram* prorsus ac *singularem* in orbe erudito & Christiano experta est *fortunam*; dum inter multa & magna sententiarum diuortia miris contrariisque modis affecta fuit. Nam si vlla vnquam extitit Doctrina, quae inter summos honores & opprobria, summasque inter laudes & conuitia, anceps veluti haesit: profecto haec est, quae adeo *dubiam* & *ancipitem* hucusque habuit *existimationem*, ut aequae ad scientiarum culmen euecta, ac infra omnium abiectissimas depressa fuerit; sitque modo & in ciuitatem publice recepta ac publicis alta stipendiis, modo autem & publice proscripita exulareque iussa, imo & ad rogam funestosque ignes nonnunquam condemnata. Cum autem publice inter sit, ut, quae publice merentur vel *honorari* vel *contemni*, ea ultra modum nec *honorentur*, nec *contemnantur*; atque post susceptae reformationis Evangelicae tempus iam *tertia*, ni fallor, hac nostra aetate sit *insignior Periodus*, qua de Disciplinae huius dignatione *in bonam malamque partem* publice agitur: à studiorum nostrorum ac temporum conditione haud alienum fore reputauimus, si, ex ratione illorum desideriorum & conatuum, quos in edita non ita pridem *Eruditionis Humanae Protheoria* C. IX. pag. 522. seqq. & pag. 533. usque ad pag. 577. disertius expressimus, post tot discrimina sententiarum nostri quoque ingenioli periclitemur vires, *Disciplinaeque inter tot laudationes & vituperationes hodieque versanti*, seposito omni partium studio, illoque posthabito affectu, quo vnusquisque opilio clauam suam dicitur laudare, ea, quae *iusta sunt visa*, modeste discernere, deque ipsius *NATURA, VSV, PRETIO & CVLTV*, (quae *potiora* erunt praesentis tractationis *Capita*,) quasdam *observationes ac meditationes* nostras, quas curta nostra supellex iam nobis suggessit, quasque ad rem praesentem aliquid facere existimauimus, in medium proferre annitiamur, doctiorumque censurae decenter submittamus. Quod, ut & nobis & publicae rei cedat feliciter, magisque praesidiorum & consiliorum, quam dissidiorum conuitiorumque praebeat materiam, nos sine vltiori praefatione, candido ac sincero pectore precamur.

DISSER.

# DISSERTATIONIS CONSPECTVS.

- §. I. **D**octrinae Metaphysicae, iam antiquissimis temporibus quodammodo excultae, tractatio Sytematica ab Aristotele potissimum sua cepit primordia.
- §. II. Sub cuius nomine qui hodie feruntur Libri, non possunt, (uti Ramus & Ramei dicuntur voluisse,) pro omnino corruptis aut suppositis haberi.
- §. III. Id quod speciatim quoque de Libris ipsius Metaphysicis tenendum est; quorum ynciens aduersus varias obiectiones vindicatur.
- §. IV. Sed illi Metaphysicorum hooce nomen, (etsi satis vetustum,) non tam ab ipso Aristotele, quam aliunde acceperunt: neque tamen semper aut vbique hoc titulo videntur esse insigniti.
- §. V. Doctrinae Metaphysicae DEFINITIO, quae extat apud ipsum Aristotelem, proponitur; & quibus ista olim hodieque implicata fuerit difficultatibus, ostenditur.
- §. VI. Per ENS, QVA ENS est, quid apud Aristotelem eiusque accuratissimos Interpretes ac Sectatores designetur.
- §. VII. Per ID IPSVM quid apud Scholasticos aliosque quam plurimos Doctores, ab Aristotelico sensu defectentes, designari soleat.
- §. VIII. Circa hoc geminum discrimen quid maxime probandum possit videri, edisseritur: sed nondum tamen ad rem consociendam id sufficere significatur.
- §. IX. Docetur, ex difficultatibus hisce non certiozem posse dari exitum, quam si verus ac genuinus huius Doctrinae Scopus curatius inuestigetur, tumque & Obiectum ad Scopum illum conueniens eidem assignetur.
- §. X. Spectatur proinde totius Philosophiae ac Eruditionis Scopus; perque huius considerationem via sternitur ad cognoscendum Scopum, qui Metaphysicae doctrinae proprius haberi queat.
- §. XI. Hic ipse Specialis SCOPVS in eo ostenditur consistere, ut primo-prima totius Theoreticae Philosophiae ac vere Rationalis cognitionis per Disciplinam hanc ponantur Fundamenta: & quomodo Rationalis cognitio à Sensuali differat, exponitur.
- §. XII. Docetur porro, haec fundamenta non aliunde posse peti, quam quidem ex contemplatione Notionum Generalissimarum & maxime Vniuersalium, quae omnibus aut saltem plerisque Rebus applicari possunt.
- §. XIII. Monstratur, has ipsas ad Notionem aliquam omnium primam & simplicissimam, quae absolute Vniuersalis sit, idcirco esse reuocandas: huiusque loco non ullam aliam, quam ipsam Notionem ENTIS aut REI, haberi posse; quae proinde etiam proprium huius Disciplinae constituat OBIECTVM.
- §. XIV. Docetur, qua ratione haec Notio REI aut ENTIS tam creatis quam increatis, atque & aliis quibuscunque Rebus tanquam Genus aliquot summum, certoque modo vniuocum, citra absurditatem adscribi debeat ac possit.
- §. XV. Soluitur opposita huic sententiae praecipua Obiectio: & quomodo id, quod primum est in Natura, cum eo, quod primum est in Conceptu, conveniat, aut ab eodem differat, ostenditur.
- §. XVI.

- §. XVI. Docetur, prioribus denuo confirmatis, in qua latitudine conceptus ENTIS hic veniat accipiendus; & quousque ad Species ipso inferiores in eo contemplando liceat descendere: cum annexa huius Doctrinae DEFINITIONE, qualis ex nostra sententia proponitur.
- §. XVII. De NOMINIBVS huius Doctrinae quid statuendum videatur, quodammodo exponitur.
- §. XVIII. Explicatur Generalis huius Disciplinae VSVS, & novem insignia eundem praebere Commoda monstratur.
- §. XIX. Praeter expositam Vtilitatem, eiusdem etiam confirmatur NECESSITAS.
- §. XX. Post haec & ABVSVS eiusdem in quibus consistat, declaratur: ac generatim respondetur ad contrariam sententiam illorum, qui Disciplinam hanc non tantum minus utilem & necessariam, sed quoque prorsus inutilem & superuacaneam, imo & nociuam esse existimant.
- §. XXI. Speciatim expenditur sententia eorum, qui NOVITATEM huius Disciplinae exprobrantes, eandem Sapientibus antiquis ignoratam & in Philologiae Naturalis detrimentum ex Aristotelis cerebro serius inuentam dicunt.
- §. XXII. Itemque eorum, qui LOGOMACHIAE, vel quoque nimiae ABSTRACTIONIS vitium solent ipsi obiicere, veramque Philosophiam non tam in Vniuersalium quam Singularium cognitione ponendam esse existimant.
- §. XXIII. Similiter & eorum, qui mentem per Metaphysicas Ideas nimis distrahi, & à solida Rerum cognitione auerti, perque omnes Speculationes transcendentales in Specialioribus Disciplinis nihil omnino praestari, & ne vilissimas quidem Quaestiones resolui posse, iudicant.
- §. XXIV. Nec non & eorum, qui Metaphysicas Doctrinas, si voces Latino-Barbaras & alia singularis doctrinae speciem praeseferentia ab iis demas, nihil sub se continere putant, quod non vel infimae plebis homuncionibus, quinimo infantibus & mente captis, vel ipsis quoque brutis iam satis notum sit.
- §. XXV. Tandemque & illorum, qui egregios Metaphysicos & Logicos maximos plerumque fieri Sophistas, aut stoliditate Pedantica insignes fore, solent praetexere.
- §. XXVI. Quibus praemissis etiam disquiritur, Quid de illorum sententia sit statuendum, qui Disciplinam hanc non nisi pro Lexico quodam Philosophico habendam, veleam certe cum Logica seu Dialectica omnino coniungendam aut coniunctam esse iudicant.
- §. XXVII. Ac porro expenditur, qua ratione etiam aliae Doctrinae vel Disciplinae, quae ad praesentem haecce videntur quodammodo spectare, vel ad eandem referri solent, cum ea conueniant vel non conueniant.
- §. XXVIII. Porro & ostenditur, qua ratione Doctrina Theologiae Naturalis ad Metaphysices Professionem spectet: de cuius Disciplinae Vsu THEOLOGICO, IURIDICO, MEDICO ac PHILOSOPHICO, (confirmato quoque aduersus nouas quasdam obiectiones Vsu eius Generali.) nonnulla proferuntur.
- §. XXIX. Tandem de diuersa Metaphysices EXISTIMATIONE agitur: Tituli: que tam Honorificis quam Contumeliosis inter se collatis, verum ipsi PRETIUM statuitur.
- §. XXX. Postremo loco agitur etiam de eiusdem STUDIO & CVLTU: ubi de ipsius HISTORIA, METHODO & ADMINICVLIS ad finem usque nonnihil differitur;
- §. XXXI. Quem subiectus Dissertationi affert EPILOGVS.



S. I.



Disciplinam illam, quam METAPHYSICAM appellamus, prout ea in aliquam Doctrinae formam est redacta, primam suam originem ab ARISTOTELE STAGIRITE potissimum traxisse, vti fere communi doctorum hominum consensu comprobatum est; ita vllis solidis rationibus id in dubium vocare vix quisquam poterit.

Equidem de Rebus ipsis, ad hoc doctrinae genus pertinentibus, homines accuratiori Philosophiae deditos iam antiquissimis temporibus non nihil fuisse meditados; nobis tanto magis verisimile videtur, quanto magis oportet confiteri, ideas ac notiones Entis, Rei, Principii, Materiae, Formae, ac caeterorum similium, quibus summa idearum specialium singulariumque Genera continentur, humano intellectui ea esse familiaritate aut necessitudine coniunctas, vt non tantum omnis exactioris theoriae studium in hisce discernendis & applicandis versetur perpetuo, sed & ex sententia illorum, qui cognoscendi quaedam principia nobiscum nata esse sibi persuadent, & harum prae aliis insignior aliqua notitia humanae Naturae vel congenita sit visa. Quare nec diffiteri possumus, quod in Philosophia tam BARBARICA quam GRAECANICA, praesertim vero in ea, quae à Pythagora, Socrate & Platone profecta fuit, plura passim harum speculationum vestigia atque specimina reperiantur; sicuti ex Oraculis Zoroastris a THOMA STANLEIO Anglo & IOH. CLERICO recenter editis, multisque aliis id genus monumentis, maxime vero ex Operibus Platonicis, (iis praesertim locis, vbi non tantum de Ente, Vno, Eodem, Diuerso, Statu, Motu, deque aliis istiusmodi rebus Metaphysicis agitur, sed etiam de disciplina quadam Regia, cui tanquam Reginae omnes aliae disciplinae & facultates sint subiectae, fit commemoratio,) satis abundeque constat. Idque adeo verum est, vt & PETRVS RAMVS, in Praefatione ad scholas Metaph. nec non in ipsis scholis ad Libr. III. Metaphys. cap. I. hosce Aristotelis Libros ex aemulatione quadam Platonis ab Aristotele fuisse scriptos, & plu

A

& plura continere Platonica, haud improbabiler sit arbitratus. At, etsi plurima istius generis etiam ante Aristotelem in Philosophorum antiquiorum monumentis habeantur, quae videri possint *quaedam conamina* huic doctrinae *praeludemia* fuisse: nemo tamen ante Aristotelem inuentus est, qui de ea, a *Dialectica* (vt fieri debebat) separatim tractanda, inque iusti systematis formam redigenda, aequae ac ipse laborauerit. Exinde est, vt non tantum RENATVS RAPINVS in suis Reflexionibus, quas vocat, Gallice editis, eo loco, vbi de Metaphysica agit, ARISTOTELEM *primum ac praecipuum huius Doctrinae FVNDATOREM* honoris causa nominet, sed GVILIELMVS quoque AMESIVS, Disput. adu. Metaph. §. IV. eundem *METAPHYSICORVM PAPAM*, Ebelio nostro haud multum reclamante, contemptus ergo appellauerit.

§. II. Quae autem ab incerto *Autore Librorum* istorum omnium, qui Aristotelis Stagiritae nomine feruntur, deduci fortasse posset dubitandi ratio: ea sane tanto minus poterit valere, quanto magis constat, de Aristotele eorum plerorumque *Autore* vix solidam vllam dubitandi rationem superesse. Nam, licet apud LEONARDVM COZZANDVM de Magisterio Antiquor Philosoph. Lib. II. c. I. de P. RAMO hoc commemoretur, quod ille, postquam bellum Aristoteli indixerat, plane negasset, Libros, qui nunc extarent, Aristotelis esse: *Primo*, quod in iis se minime aureum illud eloquentiae flumen, quod Stagiritae attribuit Cicero, deprehenderet; *Secundo*, quod eos putaret à tineis blattisque fuisse adeo exesos, (vel quoque ex mucore aut squalore subterraneo corruptos,) vt neutiquam potuerint agnosci. Idem tamen *Cozzandus* eodem loco etiam testatur, duplici huic *Rami* obiectioni duplici quoque Oratione a IOACH. PERIONIO iam A. 1544. fuisse satisfactum. Imo ambigo, an *Ramus* Librorum Aristotelicorum *γνωρίστη* tam prorsus ac sine vlllo adhibito modo vquam aut constanter vocauerit in dubium: cum quidem in ipsius scholis, aduersus Aristotelem Librosque Aristotelicos conscriptis, non tantum *nulla*, sed & *contraria* huius sententiae documenta videamur nobis deprehendere. Quare, etsi quoque HORNIVS Histor. Philosoph. L. III. c. XV. (prouocante ad hunc locum *Cozzando*,) similiter sit testatus, & hodie alicubi controuersiam vigere inter *Peripateticos* & *Rameos*, an quibus utimur Libri sint vere Aristotelis illius Stagiritae: tamen in ipso *Ramo*, vt dixi, sententiam istam hucusque non inueni; vt vt caeteroquin facile concesserim, hos Libros multis modis deprauatos, suaeque integritati ab illis, qui medicas iisdem manus attulerunt, non omni ex parte restitutos, ad nostra tempora venisse.

§. III.



§. III. Atque quod speciatim *Metaphysicorum Libros* attinet: illos *revera esse Aristotelis*, iamdudum ALEXAND. APHRODISIENSIS, ex orationis similitudine & ratione dicendi, itemque quod in iis saepissime citentur *Libb. Physici*, Stagiritae citra dubium tribuendi, & in his rursus, (vt sub finem Lib. I. Physicor. & alibi,) allegentur isti, probare ac persuadere est annisus; obseruante & consentiente ERN. SONERO, Prolegom. in Libb. Metaph. §. V. Neque enim obstat, quod aut *Ordo istorum Librorum sit valde disturbatus*, aut, (vti AVTORES PHILOSOPHIAE BVRGVNDICAE, quae IOH. BAPTIST. DV HAMEL solet, ni fallor, potissimum attribui, loquuntur,) *Res quoque ipsae sint toto fere opere plane disiunctae, & male cohaerentes: cum partim vel sine Aristotelis culpa Libb. istis potuerit ordinis haec perturbatio accidere*, illaque post ANDRONICI RHODII, NICOLAI DAMASCENI, ADRASTIQUE APHRODISIENSIS iam antiquitus adhibitam diligentiam, etiam sequioribus temporibus a viris literati, ac nominatim a GVILHELMO DVVALLIO, MICHAELE PICCARTO, & SAMVELE PETITO multis modis sit correcta; *partim etiam consulto ac data opera Aristoteles exactissimi ordinis leges videatur in suis hisce Libb. neglexisse; vtpote in quibus (per varia temporis intervalla fortasse consignatis) non tam perfectum aliquod systema, quam prima tantum perfecti alicuius systematis molimina & rudimenta, aut veluti apparatus quendam, exhibere voluerit; cuius quidem consilii respectu, cumque ipsi Aristoteli haec scientia, (vti in Act. Erud. Lipsiens. ad annum 1694. Celeb. LEIBNIZIVS hoc bene monuit,) non tam ἐνεσκομένη, quam ζητημένη appelletur, obiecti his Libris a P. Ramo ac saepius exprobrati creberrimarum tautologiarum cumuli excusationem mereri omnino potuissent. Deinde & illud argumentum valere haud multum poterit, quod antiquissimi commentatores & interpretes aliquos ex istis Libris plane aut ignorasse aut reiecisse videantur. Scilicet, (quod bene DREIERVS obseruauit,) cum non omnes ex XIV. illis, qui hodie feruntur, Libris, ad primae Philosophiae cognitionem sint aequae necessarii, sintque aliqui crebris argumentorum eorundem repetitionibus referti: mirum profecto non est, quod est aliqui eorum a commentatoribus tam Graecis, quam Arabibus atque Latinis, iisque cum antiquis tum novis, ex modo dicta causa sint praeteriti; attamen non ignorati, neque pro spuris omnino habiti. Cumque id praesertim duobus postremis *Metaphysicorum Libris* soleat accidere: falleretur sane in eo Doctiss. RAPINVS, si forte illos, (sibi caeteroquin vel inuito POSSEVINO probatissimos,) S. Thomae aetate non alia de causa, quam ex suspitione spurriorum natalium omnino & suppressos & in-*

cognitos fuisse factos existimaret; quod sicuti *Alexandri*, ita nec *Thomae* interpretatio in illos extet. Est enim hic ipse scrupulus iam antehac a P. RAMO in scholis ad Lib. XIII. *Metaph. c. I.* olim iam exemptus; ubi ostendit, quousque hi duo Libri *Thomae incogniti* videri queant, quodque eos & ALEXANDER expresse in suis libris allegauerit, & SYRIANVS quoque tam suis, quam Alexandri admixtis quibusdam commentationibus, instructos dederit. Denique nec illa ratio valebit, quam ante nominati PHILOSOPHIAE BURGUNDICAE AVTORES ex eo peti posse iudicarunt, quod in catalogo Librorum Aristotelis, quem nobis DIOG. LAERTIVS reliquit, XIV. Librorum *Metaphysicorum* nulla plane facta sit mentio. Cum enim dubitari adhuc queat, an vere omnino hoc dicatur; uti pluribus mox ero ostensurus: tum sane & illud accedit, quod a Diogenis silentio ad negandam Librorum istorum γνησιότητα non possit argumentum duci; quoniam & alia plura in isto catalogo omissa sunt, quae inter genuina Aristotelis scripta optimo iure esse referenda, Doctiss. PETRVS PETITVS *Miscellan. observation. Lib. II. c. XIX.* abunde demonstravit.

§. IV. Hoc ipsum nempe *Librorum Metaphysicorum* nomen ab ARISTOTELE ipso nec in iisdem neque in aliis eiusdem Libris uspiam fuisse usurpatum, vna cum ipso Ramo, AVTORES PHILOSOPHIAE ALTDORFI-NAE, nec non DREIERUS, & alii Librorum Aristotelicorum accuratissimi scrutatores disertis verbis asseuerant; idque vel a Theophr. Eresio, vel ab Andronico Rhodio, qui Libros Stagiritae restituit, & in ordinem redegit, manasse opinantur. De cuius tamen nominis antiquitate etiam exinde satis manifesto constat, quod apud vetustissimos huius Philosophi interpretes Graecos, ALEXANDRVM, AMMONIVM, SIMPLICIVM, PHILOPONVMQUE, illud non solummodo expressum habeatur, sed quoque eiusdem ratio inuestigetur: quibus ea de causa & ipsum PEVTARCHVM in *Alexandro* addimus; quod τῆς μετὰ τὰ φυσικὰ πραγματείας, (etsi de caetero haud multum honorifice,) expresse meminit. Sed an eadem semper istorum Librorum inscriptio vbique fuerit seruata: ex eo adhuc dubium videri posset; quod Libros illos XIV. generatim expositorum, qui in Catalogo LAERTIANO operum Aristotelis dicuntur τῶν ἐξηγητικῶν κατὰ γένος τέτραρεκα δέκα, esse prorsus eosdem cum dictis XIV. Libris *Metaphysicis*, fortasse non sine ratione mihi liceat conicere, atque hoc ipsum quoque ad illud dubium reponere, quod ex Laërtii silentio PHILOSOPHIAE BURGUNDICAE AVTORES infirma ratione petiisse, iam supra fuit à nobis annotatum.

§. V. Sed

§. V. Sed antequam de Appellationis consuetae ratione, qua *Meta-*  
*physici* vocantur isti Libri, aliquid hic proferamus: erit potius de ipsa  
 huius Doctrinae DEFINITIONE nonnihil afferendum, quam ab ipso  
 ARISTOTELE conceptam, disertis verbis in iis reperiri constat. Extat illa  
 Edit. Pacian. & Casaubonian. L. III. c. I. (qui tamen liber apud alios ple-  
 rosque IVtus numeratur,) verbisque sequentis tenoris constat: Ἔστιν ἐπι-  
 στήμη τις, ἢ θεωρεῖ ὄν, ἢ ὄν, καὶ τὰ τέττα ὑπάρχοντα καθ' αὐτό; *Est scientia*  
*quaedam, quae speculatur Ens, quatenus Ens, & illa, quae ei subsunt per se.*  
 Quae Definitio, (ab Aristotele in aliis etiam locis subinde repetita,) etsi ita  
 se habeat, vt Metaphysicorum plerique videantur primo aspectu in ea  
 prorsus conuenire: dici tamen vix potest, quam *diverso sensu* a diuersis  
 Doctores eadem accipiatur, quantisque controuersiarum tricis ipsa  
 implicari soleat. Et mirum sane non est, quod *Definitio ista* Metaphysicis  
 doctoribus *tantum negotii* facessat; cum & ipse Aristoteles, eiusdem pluri-  
 mas difficultates sentiens, per priores aliquot integros suorum *Metaphy-*  
*sicorum* Libros nihil aliud propemodum agat, quam vt difficultatibus  
 hisce se expedire allaboret. Est vero omnis difficultas vel circa illa, quae  
 ad *Genus* Definiti pertinent; vel circa illa, quae *Differentiam* istius spectant.  
 GENVS quod attinet: disquiritur hoc loco sitne *Metaphysica* doctrina  
 vocanda *Sapientia*, an *Scientia*, aut, an alio *Genere* *Habitus* insignienda?  
 Quodcunque elegeris ex hisce; nouis te premi senties difficultatibus: cum  
 nempe & habituum istorum nomina non vno sensu ab omnibus accipian-  
 tur; indeque variae distinctiones, e. g. inter *SCIENTIAM* late & striete,  
 vel cum & sine rigore sumtam, itemque inter *SAPIENTIAM* primam &  
 secundam, eamque, quae dicitur *sapientia vt sic*, soleant in subsidium  
 vocari. DIFFERENTIAM quod attinet: ea suas difficultates in consti-  
 tuendo doctrinae *Metaphysicae* *OBIECTO*, eoque tam *materialiter*, quam  
*formaliter* spectato, habet potissimum repositas. Tametsi enim plerique  
 consentiant, quod *ENS*, *QVA* *ENS* est, pro huius disciplinae *Obiecto* de-  
 beathaberi: tamen & in eo rursus est maximus dissensus, sitne aut *Notio*  
 haec in tanta latitudine accipienda, vt, quicquid est *Intelligibile* aut *Cogita-*  
*bile*, ideoque non tantum vna cum *Ente Potentiale* *Ens* *Rationis* & per *Acci-*  
*dens*, sed ipsum quoque *Ens priuatiuum* atque *negatiuum*, seu purum pu-  
 tum *Non* *Ens* ac *Nihilum*, sub illa generatim comprehendi debeat; aut  
 an eius acceptio sit ita restringenda, vt vel solum *Ens* *Entium*, s. *Deus*, vel  
 omne *Ens immateriale*, vel omne *Ens substantiale*, vel omne *Ens creatum*,  
 vel omne *Ens praedicamentale*, vel omne *Ens reale* & per se, (excluso illo

*Ente, quod Rationis & per Accidens dicitur, vna cum Non-Ente seu Nihilo,)* pro huius disciplinae Obiecto debeat agnosci. Sed illi etiam, qui postremam amplectuntur sententiam, & circa *omne Ens Reale & per se*, (quod & nostri *GISSENSES* faciunt,) doctrinam hanc versari volunt; vna cum caeteris in eo iterum dissentiunt, vtrum idea seu terminus Entis pro *Genere uniuoco*, an pro *analogo*, vel pro *communi ad vnum*, haberi queat; itemque, si pro *Genere* quodam *vere tali* habeatur, vtrum illud vel *cum descensu* ad sua inferiora, vel *sine descensu* debeat spectari; & si *cum descensu*, vtrum ille *tantummodo ad Substantiam & Accidens*, an *vero etiam ad alias inferiores species*, easque vel *omnes* vel *saltem potiores aliquas*, se possit extendere. Vt istas taceam controuersias, quae in huius quoque doctrinae limine, de varia interpretatione vocis *Quatenus*, item de Entis *Principiis*, *Affectiombus*, *Partibus & Speciebus*, de Entis *Realitate* vel *Obiectiua* vel *Conceptuali* siue *Formali*, vt & de *Genere Abstractionis* doctrinae huic competentis, nec non de ratione *Definitionum*, *Diuisionum*, *Axiomatum* ac *Demonstrationum*, quae in hac disciplina locum habeant vel non habeant, apud eiusdem doctores, cum *novis* subinde, iisque vel *maioribus* vel *minoribus*, sententiarum *diuortis*, vltro citroque videmus agitari. Quarum quidem **CONTROVERSIARVM**, (siue *excessu* siue *defectu* aliquo peccantium,) sicuti *breuem* aliquem ac veluti *systematicum* hic dare voluimus *conspicuum*: ita si cui volupe fuerit, eas penitus inspicere; is praeter **AVTORES PHILOSOPHIAE ALTDORFINAE**, adeat praecipue **STAHLIVM** atque **DREIERVM**, nec non **SLEVØGIIVM** **VOETIVMQUE**, (vtrumque *Pauli* nomine insignem,) & e *Gissen* nostris **SCHIBLERVM**, **EBELIVM**, **RVDRAVFFIVMQUE**, vtpote in quorum scriptis *Metaphysicis & Controversias ipsas* inueniet tractatas, & *plures* passim citatos reperiet *scriptores*, tam *novos* quam *antiquos*, quos tanquam sententiarum tot discrepantium *Magistros*, (harumque vel *Autores*, vel *Interpretes*, vel *Iudices*,) hic liceat consulere.

§ VI. Interim, si supra propositam huius doctrinae *Definitionem ex mente & sensu* **IPSIUS ARISTOTELIS** spectemus: certum est, & ab accuratissimis eiusdem Interpretibus iam dudum obseruatum, quod is per **ENS**, **QVA ENS** est, non intellexerit *Entitatem illam generalissime acceptam*, qualem *Creatori & Creaturis*, aut *aliis quibuscunque rerum speciebus communem*, ab iisque *abstractam*, sub ratione *Generis* cuiusdam *summi & uniuoci*, Doctores haud pauci conceperunt; sed quod is potius *Deum ipsum*, tanquam **ENS ENTIVM**, *omnisque Entitatis fontem*, nomine hoc designauerit.

Potest

Potest enim id abunde demonstrari ex Metaphysicor. Lib. IV. c. II. L. XI. c. VI. & L. XII. c. I. & VI: ubi Philosophus expresse statuit, *Philosophiæ Theoreticæ* totidem esse partes, quot sint *substantiæ*; Ideoque, cum TRES ponat SUBSTANTIAS, scil. *duas mobiles*, quarum altera aeterna sit, (COELUM,) altera corruptibilis, (CORPVS SVBLVNARE,) & *unam immobilem*, (DEVM;) tum quoque tres ponit *istius Philosophiæ Partes*, ASTROLOGIAM videlicet siue MATHEMATICAM, quae Coelum, PHYSICAM, quae Corpus Sublunare, & THEOLOGIAM siue METAPHYSICAM, quae Deum contempleretur. Et quia Deum hoc modo recte habuit pro *Substantia omnium prima*, hanc autem idem esse credidit cum *primo Ente*, primum autem Ens agnouit esse habendum pro *Ente absolute-tali*, a quo omnia reliqua entia suam ducant originem, nomenque Entis participant: satis quidem & ex hoc apparet, quod Aristoteles per *Ens quatenus Ens* nihil aliud quam *Ens absolute primum*, ac *Deum ipsum* designauerit, eumque ita voluerit considerari, vt reliqua Entia ad ipsum non tanquam ad unum commune Genus, sed tanquam ad commune Principium, suo vnumquodque modo, deberent referri. Plura hac de re videantur apud SCRIPTORES, quoscitat B. IACOB. THOMASIVS in *Histor. Metaphys.* §. 3. seqq. vbi bene obseruat, qua ratione, *his suppositis*, Aristoteli fuerit doctrina Metaphysica simul & particularis scientia de Deo, & *universalis* de Ente in communi: quatenus scilicet in omni Genere illorum, quae vocantur ab hoc Philosopho *communia ad unum*, (Graece πρὸς ἓν, vel πρὸς μίαν τινὰ φύσιν,) id quod primum & praecipuum est, simul habetur *universalis mensura caeterorum omnium*; vtpote quae talia sunt, quibus Nomen aliquod per se non imponitur, sed tantum in relatione ad aliud, cui illud nomen & nominis significatum competit per se, *primario, ac principaliter*.

§. VII. SCHOLASTICI autem DOCTORES, & alii quam plurimi, cum ex aduerso per ENS, QVA ENS est, non intellexerint *Ens primum in natura*, siue Deum, sed potius *Ens primum in conceptu*, seu *notionem vel ideam omnium generalissimam*, quatenus illa a speciebus Rerum quarumcunque, quae Entis nomine insigniuntur, omnimode abstrahitur, & tanquam *summum simplicissimumque Genus* primo loco spectanda exhibetur: apparet sane, quam longe isti a Magistro suo Aristotele discesserint, atque aliam prorsus hanc disciplinam tractandi viam ineundam sibi constituerint. Discessus vero huius aut transformationis *primam originem* existimat B. IACOB. THOMASIVS (& ante eum DREIERVS, pluresque alii, qui disciplinam hanc ad mentem Aristotelis sub acui Scholastici finem reformare sunt

sunt

sunt aggressi,) non aliunde esse deducendam, quam quod mens & doctrina Aristotelis *de Communibus ad unum*, (quarum rationem genuinam PHILIPP. SCHERBIUS in speciali quadam Disputatione exposuit, easque ab ipsis quoque analogis distinxit,) non recte fuerit perspecta. Hinc enim factum esse contendit, ut non tantum ab analogis abstraheretur commune quoddam Genus, sed ipsa quoque Analogia, quae inter entia magis minusque talia intercedit, quinimo & ipsa Entis AEquivocatio, in Uniuocationem vere proprieque dictam vsque adeo conuerteretur, ut non solum ab Ente increato & creato, sed porro etiam ab Ente complexo & incomplexo, ab Ente per se & per accidens, ab Ente actuali & potenciali, ab Ente reali & rationis, & tandem ab ipso quoque Ente & Non-Ente, per TIMPLERVM communis quidam conceptus sit abstractus, doctrinaeque Metaphysicae pro Obiecto genuino suppositus. Quae posterior tamen sententia non solum Timplero adscribenda est, sed ab EBELIO nostro Colleg. Metaphys. Disput. I. Sect. III. Art. I. MULTIS quoque THOMISTIS, praesertim antiquioribus, ut & ex parte aliqua MICH. ZANARDO, attribuitur. Sed, quis primus inter Scholasticos a mente Aristotelis deflexerit: id quidem nondum, quod sciam, inter doctos est satis exploratum. Etsi enim B. IAC. THOMASIVS Histor. Metaph. §. 29. ex FVLGENT. SCHAUTHEBTI controu. Philosoph. etiam hoc obseruet, quod SCOTISTAE pariter ac NOMINALES *Ens respectu Dei & Creaturae uniuocum esse doceant*: sunt tamen Thomistis antiquioribus & hi utriusque posteriores; atque etiam in dubio adhuc relinquitur, utrum Thomistae illi, qui ab Aristotelis doctrina discesserunt, id ignoranter, an consulto fecerint. Certe, quod *Ens nec pro uniuoco neque pro aequiuoco* haberi debeat, ex Auerroë & ipso Thoma satis probasse Fonsecam & Suarezium; obseruat ERN. SONERVS, ad Libr. IV. Metaph. c. II. ut taceam, istam ab Aristotele discrepantiam vel uniuerso acuo Scholastico antiquiorem ex eo videri posse, quod & PORPHYRIVS Institut. c. II. istam sua aetate iam tetigerit, & SEVERIN. quoque BOETHIVS, ad verba Porphyrii, nonnullos in hac opinione fuisse, annotauerit, ut rerum omnium, quae sunt, unum putarent esse Genus, quod *Ens nuncuparetur*; testante DREIBRO, Dispp. de Philos. prim. p. 45.

§. VIII. Has duas tam diversas Metaphysicam tractandi Methodos, si debeamus utrinque inter se conferre, & quae melior ex illis sit decernere: illa sane, quae ARISTOTELIS est, videtur primo aspectu prorsus & Rationi esse conuenientior, & Pietati quoque aut Reuerentiae erga diuinum Numen longe propius accedere, quam quidem ista altera SCHOLASTICORVM, quae

quae & à Ratione & à Pietate non tantum videtur longius distare, sed quoque longius abire. Quaeso enim, quid *verae Theologiae* eaeque tam *Christianae* quam *Naturali* potest accommodatius proferri, quam *DEVM*, (qui ipse *Esa. XLII. 8. Exod. III. 14. & Apoc. I. 8.* sub nomine *JEHOVAH*, siue τὸ ὄντος aut *ENTIS* nomine, colendum se esse declaravit, quemque & *Pythagorici* τὴν ὄντως ὄντα, sicuti *Res divinas* τὰ ὄντως ὄντα, appellarunt,) ut *Ens primum* siue *Ens Entium* spectandum exhibere, ad idemque, (quod & *THEOPHILVS RAYNANDVS* docuit,) à creaturis veluti per *scalas* aut *gradus aliquos* ascendere, sicque *Rerum caeterarum omnium* essentiam ab hoc *unico & summo Ente* veluti suspendere, eamque omnem *secundum illius tantummodo mensuram* aestimare? Ex aduerso, quid magis, aut *Rationi* aut *Pietati* videtur posse contrariari, quam *Creatorem & Creaturas* sub *uno eodemque conceptu Generico*, eoque *uniuocato*, collocare, atque sic efficere, ut *Deus cum Creaturis* videatur habere aliquid simpliciter commune, aut aliquid de *Essentia Dei* videatur hoc modo esse de *Essentia Creaturarum*; imo ut, si *Deus aliquod Genus* credatur supra se habere, videatur is hoc ipso etiam, non sine compositionis nota, *specificantem Differentiam* admittere? Quod ipsum, sicuti tanquam *horrendus error* à *IACOB. MARTINIO* in *Bernunfft-Sp. L. II. c. LIV. p. 1222.* *Scoto* aliisque reprobratur; ita & nostro tempore *Cl. PETR. POIRETUS*, (cuius conferatur *Tract. de Etud. L. II. §. XXVII. & L. III. §. XXIV.*) inter *praecipuos Metaphysicae defectus* hoc reposuit, quod τὸ *Esse Dei* à τῷ *Esse Creaturarum* non satis recte prouideque in ea fuerit *distinctum*, ac proinde per *conficta aliqua*, ubi nulla essent, *Deo & creaturis communia attributa*, erroneis aut saltem obscuris impurisque de diuina essentia, (ab omni creatura longe diuersissima) conceptibus sit *ansa & occasio enata*. At, etsi argumenta haec, *in se spectata*, consideratu haud indigna esse putem, & monitis hisce, quod *ab substantiam ipsorum pertinet*, cum cura esse attendendum prorsus existimem: fateor tamen, illa, in quantum ea spectant *Methodum tractandi Philosophiam primam*, eique *conueniens Obiectum assignandi* concernunt *rationem*, hucusque mihi non sufficere, ut aut *Aristotelis Methodum* omnino probare, aut eam, quae est *Scholasticorum*, omnino improbare queam; cum salua (vna cum *Ratione* pariter ac *Pietate*), hac *posteriori*, possit & *prior* conuenienti loco adhiberi.

§. IX. Cum autem obiectas hucusque difficultates superare, exiisque, tanquam ex denso quodam multisque virgultis ac viis perplexo nemore,

*in campum liberiores deuenire nimis fuerit difficile, nisi, qua exitus commo-  
dissime pateat, attente prospectemus: habemus sane, in quo iam cura no-  
stra praecipue versabitur. Existimamus autem, non alia aeque via exitum  
patere nobis posse, quam si ad SCOPVM, quem Metaphysica doctrina  
debet intendere, & ad quem consequendum omnis eiusdem apparatus  
conferendus est, oculos mentis directo inflectamus, eoque perspecto, quid  
tandem de conueniente huic disciplinae OBIECTO, eiusdemque tractandi  
Modo teneri oporteat, clarius dignoscere studeamus. Licet enim Disci-  
plinarum quarumcunque rationem ab earum Obiectis, quae vocant, proxi-  
me pendere haud diffiteamur: tamen, cum istarum nulla circa Obiectum  
suum temere aut frustra debeat versari, indeque prima atque potissima Ob-  
iecti ratio ab illo ipso Scopo sit petenda, cuius consequendi ergo Obiecti  
consideratio suscipitur; erit sane in hac quoque disciplina idem iam nobis  
obseruandum, sicque & sperandum, fore, vt eadem via ad usum quo-  
que huius Doctrinae, (de quo potissimum agitur,) propius penitusque  
cognoscendum pertingamus.*

§. X. Ad Scopum igitur Doctrinae huius attente prospecturis in men-  
tem venit, ad Vniuersae etiam Philosophiae & Eruditionis Finem ideo simul  
prospiciendum nobis esse, vt nostrae, de qua agimus, Disciplinae tam  
Vniuersalis & communior, quam singularis eique soli praefixus SCOPVS exinde  
possit cognosci, & quae posterioris ad priorem sit ratio, appareat. Huc au-  
tem dum attendimus; sequentia menti nostrae se offerunt spectanda. Vi-  
delicet omnis verae Eruditionis veraeque Philosophiae summus ac praecipuus  
FINIS est, vt bene beateque vivamus, h. e. vt simus in illo statu, qui nostrae  
Naturae, secundum intentionem ac voluntatem nostri Conditoris, in omni quo  
vivimus tempore ac loco, quoad id fieri potest, sit exactissime conueniens.  
Ad Finem huncce consequendum debet homo omnes, quas ipsi Deus per  
Naturam & Gratiam concessit vires, fidelissime conferre, atque, vt con-  
ferri possint, easdem omni quo decet studio excolere. Inter omnes au-  
tem facultates, quarum nobis cultura à Conditore nostro est concredita,  
praecipua sine dubio est illa, quae Appetitus & VOLUNTAS dicitur, &  
quae, sicuti omnium nostrarum Actionum praecipuus Fons est, ad istam  
Probitatem praecipue est informanda, vt ad praestanda cuiuscunque no-  
minis officia debita & ipsa imprimis se componat, tumque & per ipsam  
omnes reliquae facultates, (in quantum ab ea pendent,) componantur.  
Voluntas autem nostra ad Finem tam honestum se sibi que subiectas Faculta-  
tes debite compositura, cum non coeca sed oculata esse debeat; eademque  
& co-



& cognoscendi quadam facultate, seu *Sensu & INTELLECTU*, se diuinitus instructam esse sentiat: hoc ipso etiam se obligatam esse deprehendit, vt & huic praesertim facultati decenter excolendae, & ad conuenientem finem dirigendae, omnem quam potest operam impendat. Hinc itaque duae iam erunt *primariae Virtutes*, quibus pro facultatum mensura digne sibi comparandis omnes homines studere debent: quarum altera vocari potest *PROBITAS*, altera *SAPIENTIA*. Prior perficit *VOLUNTATEM* ipsam, siue facultatem Mentis appetentem & agentem, eamque ad dictaminum diuinae voluntatis scrutinium & obsequium informat. Posterior autem perficit *Voluntatis Oculum* siue *INTELLECTVM*, aut facultatem Mentis seruientem & cognoscentem, cuius ope ipsa illa diuinae voluntatis dictamina se nobis conspicienda praebent. Hinc duplex quoque iam constituitur *Philosophia Principalis*: scilicet *PRACTICA* seu *Actiua & Operatiua*, in qua *PROBITATIS* habetur potissima ratio, & *Voluntatis* nostrae *Actio* ad bonae vitae regulam componitur; atque *THEORETICA* seu *Contemplatiua & Perceptiua*, in qua *SAPIENTIAE* potissima ratio habetur, & *Intellectus* nostri *Cognitio* ad bonae vitae vsum informatur. *Arctissimus* vero, qui inter utramque *Philosophiam* intercedit *nexus*, ex eo quoque potest apparere, quod *omnis* nostra ad veram vitae honestatem formanda *Actio*, (de cuius instituendae *ratione* nos ipsi debeamus aliquid decernere,) ex ipsa sua natura requirat sufficientem *Cognitionem* illorum *Obiectorum*, circa quae eadem versatur, quarumque conditioni debet ipsa *Actio* accommodari. Quare, sicuti *Philosophia Practica* agit de *Actionibus* ipsis, iisque ad normam conuenientem componendis certa quaedam dictamina praescribit: ita *Theoretica Philosophia* agit de *conditione Rerum*, circa quas versantur actiones nostrae; iisdemque recte cognoscendis impendit operam. Quam late itaque patet *Voluntatis* nostrae *Praxis*; tam late quoque patet *Intellectus* nostri *Theoria*, quae est ad *Praxin* dirigenda. Ast vero & ipsa *Praxis* ad *Scopi* sui *rationem* metienda est; ideoque tam late patere aestimanda, quam late patet *totus ambitus* eorum, quae ad bonam beatamque *Vitam* non immerito requiri possunt. Nam sicuti *omnis Theoria* est propter *Praxin* aliquam: sic *omnis Praxis* est propter *Vitam bonam & beatam*, quae est *summus & ultimus* omnis doctrinae ac disciplinae *Finis*. Totius autem bonae beataeque *Vitae* cardo in his tribus praecipue vertitur, vt vita nostra sit *RELIGIOSA*, *OFFICIOSA*, *ANIMOSA*, vel quod perinde est, vt sit *PIA*, *IUSTA*, *SANA*, ideoque per *Pietatem* pacem habeat cum Deo, per *Socialitatem* cum creaturis aliis, atque

per Sanitatem cum seipsa; utpote quae triplex bonae vitae ratio etiam triplicis istius doctrinae Scopus est, quae sub THEOLOGIAE, IURISPRUDENTIAE & MEDICINAE nominibus, studiorumque primariorum titulo, venire solet, atque tam Theoriam quam Praxin, ad triplicem hanc vitam pertinentem, sub se comprehendit. Huius autem triplicis doctrinae Fundamenta, (quibus iaciendis Naturae Gratiaeque dotes largissime subueniunt,) cum primo per illud doctrinae genus poni debeant, quod vitam nostram Virtutis cuiuscunque STUDIOSAM efficit, & verae PHILOSOPHIAE, (qua Gratiouam pariter ac Naturalem h. l. designamus,) titulo condecoratur: opus sane erit, ut antequam ad Theologiae, Iurisprudentiae & Medicinae prima ac Philosophica fundamenta speciatim accedatur, etiam Generalia omnis honestae Praxeos & Theoriae ponantur Fundamenta. Hoc ipsum vero obtineri aliter haud poterit, quam si à Practica pariter ac Theoretica Philosophia SPECIALI, (quam omnem ad vitam Religiosam, Officiosam & Animosam, siue ad Theologiam, Iurisprudentiam & Medicinam, commodissime referri posse iudicamus,) distinguatur Practica pariter ac Theoretica Philosophia GENERALIS; huiusque in eo versetur munus, ut, quae siue AD ACTIONIS CUIVSQUE directionem, siue AD OBJECTI CUIVSQUE cognitionem GENERALITIM pertinent, solide ac neruose per eam doceantur. De quibus si quis forte adhuc plenius mentem nostram vult percipere; is quaeso adeat PROTHEORIAM nostram de Eruditione humana Vniuersa, Cap. VII. VIII. IX. ac X ubi pluribus omnia haec declarantur, atque confirmantur.

§. XI. Ex dictis igitur cum satis constet, qua ratione, quemadmodum PHILOSOPHIAE PRACTICAE Speciali praemitti debet Disciplina aliqua Generalis, quae de ACTIONIBVS vniuersae, siue de iis, quae omni Actioni liberae ad Legem dirigendae sunt communia, praecipiat, ita etiam PHILOSOPHIAE THEORETICAE Speciali similis quaedam Disciplina Generalis debeat praemitti, quae de REBUS vniuersae, siue de iis, quae omni Rei nostris Actionibus obiectae & alicuius cognitionis indigae communia sunt, nos possit edocere: quaeso, cumnam inter omnes Disciplinas Theoreticas maiori iure hoc ipsum munus tribuemus, quam quidem illi, quae fuit hucusque sub titulo Metaphysices exculata? Hoc ipsum enim est, quod & ARISTOTELES intendit, quando cum Theologia Naturali hanc Vniuersalem de Rebus omnibus Scientiam coniunxit; Idemque adhuc longe manifestius intenderunt SCHOLASTICI, quando Scientiam Rerum quaecumque Generalem à Naturali Theologia magis adhuc separatam tradiderunt.

diderunt. Ex quibus ita *suppositis* iam sua sponte consequitur, quod SCO-  
PVS seu FINIS huius Doctrinae PROPRIUS ac SINGULARIS proxime sit  
nullus alius, quam Contemplatio eorum, quae Rebus Vniuersis sub cogni-  
tionem nostram cadentibus sunt communia; cuius quidem porro hic erit  
VSVS atque FRVCTVS primarius, vt primo-prima ac maxime vniuersalia  
totius Theoreticae Philosophiae vereque Rationalis Cognitionis per Disciplinam  
hanc ponantur Fundamenta. Vbi quidem consulto eandem retuli ad RA-  
TIONALIS COGNITIONIS ponenda fundamenta: quippe quae cogni-  
tio ab ea, quae TANTVM SENSUALIS aut IMPERFECTIORI MO-  
DO RATIONALIS est, h. l. accurate debet distingui. HANC enim  
dico, quae Res tantummodo singulares ita cognoscit, sicuti Sensu quodam  
originali, ad primas perceptiones vñice fere restricto, & qui angustiiori libe-  
riorique reflexione destituitur, sunt perceptibiles, suiue imagines quas-  
dam singulares in phantasia nostra relinquunt. ILLAM autem dico,  
quae, sicuti Sensu quodam perfectiori ad primasque perceptiones non vñice re-  
stricto, sed perceptionem aliam ex alia formare & excitare apto, per eumque  
liberiori & angustiiori reflexione pollet, quam Sensum de Sensu dixeris; ita  
non tantum, ex cognita Rerum singulariam in vna Ideali specie conuenien-  
tia, earundem vniuersales quasdam ideas sibi format, sed & vniuersales  
hasce Rerum ideas tam ordinate inter se disponit, vt & quaslibet Species, per  
suas Differentias accuratissime & varie distinctas, referat ad suum Genus,  
atque etiam à Speciebus infimis ad summum usque Genus ascendat, ab eoque  
rursus etiam descendat; sicque compositas quascunque Notiones resoluat  
in simpliciores, iterumque ex simplicioribus magis compositas deducat, at-  
que hac ratione id obtinere studeat, vt Rerum menti nostrae obiectarum, ex  
perspecta mutua omnium Analogia, clarissimos, distinctissimosque, nec non  
& maxime adaequatos Conceptus; quoad id fieri potest, consequatur.

§. XII. Clarius hoc patere poterit, si attendamus, qua ratione in aliis  
quoque omnis clara & distincta Cognitio ab eo pendeat, si illa, quorum  
Conceptus habet aliquid compositi, in simpliciora, è quibus constat, resol-  
uantur. Nam sicuti e. g. Oratio, de cuius natura & constitutione clarum  
distinctumque conceptum formare volumus, in Periodos, Sententias, Phra-  
ses, Voces, Syllabas, & Literas veluti per gradus quosdam, necessario est re-  
soluenda: ita etiam vniuersae omnes Conceptus nostri compositi in simpliciores  
atque simplicissimos, per conuenientes gradus, resoluedi sunt, si à cogni-  
tione obscura & confusa ad clariorem distinctioremque velimus peruenire. Si  
quis autem quaereret, Quatenam in Cognitione Rationali κατ' ἐξοχὴν vel

excellenter tali, pro *Simplicioribus* haberi debeant: profecto ea pro *talibus* haberi fuerit necesse, quae sunt *Rebus omnibus maxime communia*, ideoque *generalissima* aut *uniuersalissima*. Licet enim haec sententia *παιζίδοξορ* aliquod ex eo videatur continere, quod, quo magis generale aliquid est, eo magis quoque videatur esse *compositum*; utpote plura *Genera* aut *Species* sub se complectens: facile tamen dubio huic eximendo subueniri poterit, dummodo consideremus, **GENERALIA**, quae maxime videntur esse **COMPOSITA** respectu *Comprehensionis* *Rerum Specialium* ac *Singularium*, quibus ea possunt *applicari*, esse tamen **SIMPLICISSIMA** respectu *idealis Repraesentationis*, qua sunt à suis inferioribus *abstracta*, & citra applicationem spectantur in seipsis. Quare id perinde fere se habet, quemadmodum cum *Literis*; quae non obstante applicatione fere infinita, qua omnem omnino *Sermonis compositionem* ingrediuntur, in se tamen spectatae pro *simplicissimis* *Sermonis partibus* haberi possunt. Nam simile hoc, etsi adhuc quodammodo sit *dissimile*, tamen haud adeo incommode hic adhibebitur, quatenus per id docebitur, quod, sicuti de *Syllabis*, *Vocibus*, *Phrasibus*, *Sententiis*, &c. non poterit sufficienter iudicare, qui *Literas* nesciuerit; ita etiam de *Generibus Rerum magis compositis* ac *specialioribus* nequeat sufficienter iudicare, qui *simpliciora* & *uniuersaliora Rerum Genera* ignorauerit.

§. XIII. Cum igitur in conceptuum nostrorum ordine à *Simplicibus* ad *Compositos*, & ab *his* rursus ad *illos* progredi consultum plane sit ac necessarium: quis iam *inter ipsos simplices conceptus* pro **OMNIVM SIMPLICISSIMO** haberi debeat, hic non immerito disquiritur. Videlicet quemadmodum **IN ILLO ORDINE**, quo *Res existunt*, atque à causis suis proficiscuntur, non potest dari progressus in infinitum, sed ad **PRIMUM ALIQUOD EXISTENS**, quod caeterorum omnium causa sit, oportet deueniri: ita etiam **IN ISTO ORDINE**, quo *Res concipiuntur*, & ex simplicioribus *ideis* declarantur, non potest in infinitum fieri progressus, sed simili prorsus ratione ad **PRIMUM ALIQUOD CONCEPTIBILE** est assurgendum, à quo omnes reliqui conceptus pendeant, in eumque postremo resoluantur. Tale vero est sine dubio conceptus seu idea **ENTIS**, cuius Synonymum est **ALIQVID**: utpote cuius in concipiendo *summa Simplicitas*, & in ipsa simplicitate *Uniuersalitas*, ex eo satis deprehenditur, quod nihil prorsus in natura *Rerum existere*, imo ne *cogitari* quidem aut *nominari* possit, quod **ENTIS** aut **ALICVIUS** conceptum aliquo modo non recipiat. Tametsi enim notio **REI**, (quae proprie, sicuti *Hebraicum Dabhar*,

Dabhar,

*Dabbar*, significat quodcunque, de quo dici aliquid potest,) ex eo videatur esse paulo prior atque simplicior, quia vna cum *Ente* & ipsum *Non-Ens* videtur sub se comprehendere: tamen cum & unumquodque, de quo dici aliquid potest, vna cum ipso *Non-Ente* quodammodo dicatur *Esse*, etiam si ipsius *Esse* est *Non-esse*, & eius *Aliquid* est *Nihilum*: apparebit sane, quod & *Notio REI* possit pro *ENTIS* Synonymo haberi; sed ita tamen, vt hoc alteri ideo praeferre malim, quia *ENS* quidditatem magis *subiectiuam*, quae sane potior ac prior est, *RES* autem quidditatem magis *obiectiuam*, quae certe posterior ac sequior est, proprie videtur designare. De caetero, (vti jam supra indicauimus,) haud est mirandum, quod *ENTIS* Idea, eo ipso dum *simplicissima omnium* est, etiam pro *maxime omnium composita*, habenda nobis veniat. Prouenit enim hoc à *diuerso quodam respectu*: quippe quo fit, vt *ENS* in *DESCENSU* veluti spectatum, relatumque ad *sua inferiora*, in quae potest resolui, pro *idea maxime composita*; ab iisdem vero per *ASCENSUM* quendam rursus abstractum, & ad superiora, quae nulla habet, relatum, pro *idea maxime simplici*, quae possit in nullas se priores resolui, iure meritoque habeatur; atque hac ratione ab omnibus inferioribus quodammodo & includatur, & eadem etiam includat. Haec ipsa vero *ENTIS* idea est illud *OBIECTVM PRIMARIVM* ac vere *PROPRIVM*, quod haecenus quaesitum, *Disciplinae nostrae*, seu *Philosophiae Theoreticae Generali*, vt ei *conuenientissimum*, debebat assignari, & recte hucusque fuit assignatum.

§. XIV. His praemissis, redit iam superius quodammodo tacta veratissima Quaestio, sine *Idea ENTIS* respectu caeterarum omnium, quae *Menti nostrae* obiiciuntur, & *ALIQUID* quocunque modo existens eidem repraesentant, pro vere-Generica seu omnibus essentialiter communi reputanda; &, si pro tali possit haberi, sine sub *ratione Generis Vniuersi*, an *Analogi*, an alterius cuiuspiam, quod dicitur *Commune ab Vno vel ad Vnum*, nobis rectissime concipienda? Circa quam decidendam, licet pro adstruendo illo, quod dicitur *Commune ad Vnum*, apud eos, qui stricte *ARISTOTELEM* sequuntur, multa disputari soleant; vti, (praeter *DREIERVM*, *AVTORESQUE PHILOSOPHIAE ALTDORFINAE* ac plures alios.) argumenta huc pertinentia recenset *EBELIVS* in *Comment. ad Libell. Thomae de Ente & Essentia*, atque *SLEGVOGTIVS* *Dispp. Acad. Part. I. Disp. II*; quae est de *Ratione Generica Entis, in ordine ad inferiora*: diffiteri tamen haud possum, quod malim cum illis facere, qui *ENS* & *verum Genus* esse dicunt, idemque pro *uniuerso* habendum esse certo modo existimant. Firmissimis enim

argu-

argumentis hoc adstruxit, & contra potissimas Obiectiones vindicauit, modo allegatus SLEVOGTIVS c. l. quorum neruus in eo potissimum est situs, quod *ENTI*, ad inferiora sua relato, conueniant illa omnia, quae in rigore ad rationem Generis requiri possunt; quia scilicet *Idea ENTIS*, seu illa ipsa formalis ratio, quam *Entis Notio* in primo suo conceptu continet, de pluribus *Specie differentibus* in *QVOD* potest reuera & casu recto praedicari; estque tamen aliquid à suis *Inferioribus formaliter distinctum*, vt quod *specificas earum Differentias* formaliter in suo conceptu non includit, sed tantum *incomplete* & quoad *Esse Commune* de ipsis praedicatur. Hinc, si *ENS* est, quod habet *Essentiam*, aut *Quidditatem* utcumque existentem, nostroque intellectui positui aliquid obuiuentem: quaeso quis dubitabit, quin *Substantia & Accidens*, itemque *Deus & Creatura*, atque alia inferiora omnia, *ENTIS* nomine reuera, & ita possint insigniri, vt non tantum illius *Nomen*, sed quoque *illam ipsam essentialem rationem* in prima eius formalitate habeant communem. Vide miror, quae ratione *ARISTOTELES*, (L. III. vel IV. *Metaph. c. II.*) eiusque *SECTATORES*, *Notionem ENTIS* non nisi pro *Communi ad Vnum*, per adhibitum exemplum *SANITATIS*, venditare potuerint: cum tamen ea, quae *Sana* dicuntur, diuerso profus modo participant conceptum formalem *Sanitatis*, quam ea, quae *Entia* dicuntur, conceptum formalem *Entis*. Nam etiam si haud ignorem, quod *Species ENTIS*, secundum diuersam excellentiam *Modorum existendi*, quibus plus minusue inter se differunt, sint *inaequalis* hoc ipso dignitatis: tamen vt illud ad *Genericam Entis rationem*, abstracte & formaliter spectatam, minime est referendum; ita quoque non tollit omnem proprie dictam *Vniuocationem*, ex applicabili omnibus primo & simplicissimo *ENTIS* conceptu aestimandam.

§. XV. Apparet ex hisce, qua ratione ex eo, quod *Deus* cum *Creaturis* conceptum *ENTIS* communem dicatur quodammodo habere, (etiam si hoc *IAC. MARTINIO*, vt supra §. VIII. indicauimus, videatur horrendi *Erroris quidpiam* habere in recessu,) absurdum tamen illud, quod metuitur, ac si *summa imis*, aut *ima summis* miscerentur, nullatenus sit metuumdum. Agnoscimus sane, quod inter τὸ *ESSE DEI* & inter τὸ *ESSE CREATVRARVM* tanta sit *Differentia*, quanta est inter *Infinium & Finitum*: Hoc autem non pertinet ad τὸ *Esse in Genere*, sed ad τὸ *Esse specificè* consideratum. Nam vere possum dicere, *Deus est*; vere itidem, *Creatura est*. Neque tamen *Deus* ideo *Deus* est, quia *est*; sed quia *independenter & infinite est*: quemadmodum nec *Creatura* ideo *creatura* est, quia *est*; sed

sed

sed quia *dependentem & finitam* est. Si quis autem obiiceret, ane hoc modo sequeretur, ut *duplicem* Deus haberet *Essentiam*; aliam scilicet *qua Ens* est; & aliam *qua Deus* est? Respondebitur, perinde id esse, ac si quis asserenti, quod e. g. *Sol* sit aliud quid *qua Sol* est, quam *qua Corpus* est, obiicere vellet, ane hoc modo sequeretur, ut *duplicem* Sol haberet *essentiam*, aliam scilicet *qua Sol* esset, & aliam *qua Corpus* esset. Profecto *utrobique* est *SUBIECTIVE unum idemque*, siue quod *Entis & Dei*, siue quod *Corporis & Solis* nomine venire nobis solet: sed ex eo tamen non sequitur, ut, quae *SUBIECTIVE & fundamentaliter* sunt *unum & idem*, ea etiam *OBJECTIVE & formaliter* pro *uno eodemque* debeant haberi; cum sane *Entis ac Dei*, itemque *Corporis ac Solis*, non *una* sit *formalis ratio*. Id quod *de aliis quoque* erit tenendum: ut, ubi datur  $\alpha\lambda\theta\omicron \eta\gamma\acute{\iota} \alpha\lambda\theta\omicron$ , ibi non statim esse putemus  $\alpha\lambda\theta\omicron\upsilon \eta\gamma\acute{\iota} \alpha\lambda\theta\omicron\upsilon$ . Eiusdem vero *valoris & illa censenda est obiectio*, quasi *Deus*, si iuxta cum *Creaturis sub uno communi Genere* poneretur, & *differentiam specificam* acciperet, hoc modo fieret quodammodo *Inferior, & compositus, suorumque Operum Conspecies*. Nascitur enim haec obiectio ex *praeconcepta quadam opinione*, quasi *Genus & Differentia* talem necessario inferret *compositionem à parte ipsius Rei quae concipitur*, qualis est *in nostro concipiendi ordine aut modo*; aut quasi id, quod *in conceptu nostro, ex ordine & consecutione Generum à Speciebus abstractorum, est posterius quiddam aut inferius*, hoc ipso amitteret *praerogativam*, quae ei competit *in ordine & consecutione ipsarum Specierum*, citra *abstractum commune Genus in specifica ac propria sua dignitate spectarum*, quae certe sit, ut quae *alias paria* habentur *sub uno eodemque conceptu Generico*, euadant quam *maxime disparia*, si aestimentur *ex differentia Specifica*; sicque efficitur, ut à *Conspecierum paritate Generica ad inferendam paritatem Specificam* argumentando haud liceat procedere; ideoque & nomen *Conspecierum* tantummodo debeat referri *ad paritatem istam Genericam*, quae nititur *abstractione nostri conceptus à differentiis specificantibus*, quibus res ipsae concipiendae *citra omnem confusionis metum* possunt discerni. (Conferatur cum his nostris & ipse EBELIUS, Colleg. Metaphys. Disp. III. Art. III. p. 768.) Accedit, quod, etsi *Idae Specierum in DESCENSU COGNITIONIS* dependeant ab *Ideis Generum*; tamen & rursus *Idae Generum in ASCENSU COGNITIONIS* proficiscantur ab *Ideis Specierum*; sicuti & hae ab *ideis Singularium* originem traxerunt. Hinc v. g. ab *Idea Dei* progredimur ad concipiendam *Ideam Entis*; & rursus ab *Idea Entis* ad concipiendam *Ideam Dei*. Ast cum *ENS* concipi possit, quod non sit *Deus*;

C

Deus

*Deus* tamen concipi non potest, qui non sit *Ens*. Id quod sine dubio ex eo provenit, quod *Specialia* magis necessario includant *Generalia*, quam *Generalia* includant *Specialia*. Neque tamen & ex eo, quod *Deus* non esset *Deus*, nisi *Ens* esset, inferre statim licebit, ac si prior in *Deo* esset *Entitas*, quam *Divinitas*. Nam idem illud Sanctissimum *Numen*, quod ab aeterno *DEVS* fuit, etiam ab aeterno *ENS* fuit: ac, si qua forte secundum illud, quod dicitur *natura prius*, inter has duas ideas fieri deberet comparatio; magis forsitan ipsius *Entitas* à *Divinitate*, quam *Divinitas* ab *Entitate* videbitur ideo pendere, quia nempe *Deus* *Ens* non esset, nisi *Deus* esset: Sed forte & inuerso ordine *Divinitas* ab *Entitate* eius aequè pendere ideo fuerit existimanda; quia etiam *Deus* non esset *Deus*, nisi *Ens* esset: praesertim si per *Diuinam Entitatem* hic specialiter intelligatur quidam veluti *Fons* aut *Fundus* *Divinitatis* ac *diuinarum Hypostasium essentialis*, quem forte liceat ab ipsa plenitudine *Divinitatis*, (salua tamen eiusdem simplicitate summa, saluoque personali *Hypostasiu* caractere,) formaliter quodammodo distinguere. Cum autem profundiore exactioreque hoc mereatur contemplationem: vix ausim ea de re iam certi aliquid decernere. Caeterum, etsi mihi haud persuadeam, *Ideas Rerum Generalium* eodem prorsus ordine primitus acquiri, quem illae induunt, quando *cognitio nostra originaria* per crebriores cognitionis actus magis magisque sit *habitualis*; sed potius existimem, quod primo vel ipsa quoque summa *Genera* tantummodo ut *certae Species*, citra conceptum legitimam subordinationem, diuersaque apud diuersos occasione, *Facultati cognoscitivae* imprimantur; ideoque non omnia probare possim, quae *SCOTISTAS* inter & *THOMISTAS* de prima *idearum generalium* natiuitate huiusque ordine solent hinc inde disputari: nullus tamen dubito, quin *Ordo ille*, quem in disponendis ideis *Generalibus* ac *Specialibus* intellectus noster iam exercitior seruare solet, etiam *reali ac naturali fundamento* haud defituatur. Nam sicuti omnia pendent à subordinata natura & ratione *Substantiae* & *Accidentis*: ita & utraque haec subordinate pendent ab intimo quodam communique totius *Essentiae* fundo, ac nobis imperscrutabili *Recessu*, quem neque *Substantiam*, nec *Accidens*, sed *Ens* vocare malimus. Quocirca & illorum sententiam haud improbare possum, qui *Notionem* illam simplicissimam *ENTIS* nostro *Intellectui*, ac *Rebus* ipsis quod per eandem significatur, veluti *singulare* quoddam & insigne ἀνάλογον atque τεκμήριον ipsius *Dei*, à *Deo* tam alte aut profunde existimant impressum esse. Vnde etiam *Deo* aequè parum poterit videri contumeliosum, si *Creaturae* ab eodem productae & ex non-esse

esse



esse ad esse perductae, similiter ac ipse *Entis nomine* insigniantur, ac *Homini Patri* in terris id potest cedere in contumeliam, si genitorum vel infimus similiter ac ipse *Hominis vel Personae nomine* insigniatur. Quinimo, uti ei reuera foret ignominiosum, si eius Nati, qua similes ipsius esse debent, non similiter ac ipse *Personae aut Homines* futuri essent: ita & Deo haud foret honorificum, si opera ipsius, qua sunt ab *Ente Entium* ad aliquam eius similitudinem profecta, & *Nomen Entis* hoc ipso promerentur, commune illud cum ipso suo conditore reuera non haberent. (Conf. Apoc. IV. 11.)

§. XVI. Breuior in explicandis huius solvendisque dubiis fuissim: nisi de eo hic ageretur, quod constituenda totius huius *Disciplinae* concernit fundamentum, & quod fons ac Scaturigo est praecipuarum *dissensionum*, quae super *Constitutione eius* sunt exortae; dum plures hic aliquid absurdi metuerunt, cuius metuendi nulla erat necessitas. Nam licet *Deus & Creatura*, atque *Res aliae* immane quantum differentes, ratione illius conceptus aut praedicati, quod est utrisque commune, ac propter commodiorem doctrinae ordinem, sub uno *Genere* ponantur: tamen à *dispositione ordinali* ad *inclusionem localem*, itemque à *communi classe praedicamentali* vel *conceptuali* ad *stabulum aliquod* non valet consequentia, uti bene loquitur SCHERZERVS, cuius conferatur Breuiar. Eustach. *Quaest. Logic. XLVI. & Quaest. Metaph. XIX.* ut ut caetera ipsius dicta in omnibus non mea faciam. At noua nobis hic offertur *Quaestio*, quae responsionem nostram ad hoc efflagitat, in qua latitudine conceptus *ENTIS*, (quem iam latissime patere, indicauimus,) hic veniat accipiendus, & quousque ad eius inferiora in eo contemplando liceat descendere? Ad quod *Ἰντιμεινον* ita breuiter respondeo, ut plane sentiam, in summa sua latitudine *Notionem ENTIS* hic accipiendam esse: excepta unica *NON-ENTIS* idea obiectiua; quippe quae adeo nihil ponit in esse, ut, si quid esse videatur, reuera tamen, ut supra diximus, eius *Esse* sit *Non-Esse*, & eius *Aliquid* sit *Nihilum*, ideoque sit tantum spuria & heterogenea, ac prorsus aequiuoca *Entis species*, aut, si magis proprio caractere suo insigniri debeat, *Entis contrarium*, & *contradictorie oppositum*. Nisi enim pro tali fuerit habendum: tunc falsum foret notissimum illud *Axioma*, quo quodlibet esse vel non-esse dicitur. Nam ut ut & ipsum *Non-Ens* aliquam prae se ferre videatur *Entis speciem*: hoc tamen ex eo tantum prouenit, quod veritas nostri conceptus de *Non-Ente*, & veritas *Oppositionis*, quam illud habet respectu *Entis*, cum ipso *Non-Ente* facile ac perperam à nobis confundatur. Quare, licet & *Non-Entis ratio* in huius *Doctrinae* limine per indirectum debeat quodammodo exponi: tamen cum ipsum sit

nihil aliud, quam negatio quaedam, aut purum non-esse illius, quod potest Entis nomine venire; profecto nullo modo conueniens aut opus est, vt Non-Ens idcirco pro aliquo proprie dicto huius Disciplinae Obiecto habeatur. Videlicet sicuti Umbra vel Sponte sequitur conditionem sui Corporis: ita & Non-Ens sequitur conditionem Entis, cuius τὸ Esse in illo concipitur deesse; quo fit, vt, quot sunt Species Entis, tot quoque Species Non-Entis admitti sit necesse. Similiter, vti Ens absolute tale vocatur illud, quod est modoperfectissimo, & omnes nobiliores existendi modos includit: ita Non-Ens absolute tale vocatur illud, quod ne quidem est modo imperfectissimo, ideoque & omnes ignobiliores existendi modos excludit. Aliter vero id se habet cum caeteris omnibus, quae solent sub Entis nomine venire; &, dum aliquid τὸ Esse positiui utcumque in se habent, eo ipso sub communi Entis conceptu reuera continentur, atque pro puro puto Non-Ente haberi nequeunt. Haec enim etsi imperfectiori modo partim existant: Entia tamen esse ideo non desinunt; & inter Species Entis vel hac quoque ratione aliquem merentur locum, quod etiam imperfectiores Essentiae modi in hac disciplina Generali accuratiorem explicationem, si recte subiectis suis debeant deinde applicari, iure meritoque sibi postulent. Vt taceam, quod & tractatio de Ente Rationis, de Ente in Potentia, de Ente per Accidens, deque similibus aliis, si profundius de iis cogitemus, plus bonae doctrinae habeat fortasse in recessu, quam quod perspectum est illis, qui ea nimis despiciunt, & nulla fere consideratione digna esse putant. De caetero tamen facile assentior, quod nobiliores Entis positiui Species etiam nobiliori loco in hac doctrina debeant haberi; quodque distinctio inter OBJECTVM primarium & secundarium diuersis hisce speciebus haud male possit applicari: sed ita tamen, vt ibi demum illius habeatur ratio, vbi necesse est, vt ENS positiuum generatim spectatum, (quod vna cum speciebus ipsius Generalioribus, sub ratione sua formali inferiores omnes implicantibus, adaequatum Disciplinae huius est Obiectum,) secundum diuersos existendi modos, qui speciebus eiusdem fundamentum praebent, in Species diuersas distinguatur. Quamobrem, quicquid ullo modo habet aliquid Essentiae positiuae, & complete aliquid in τὸ Esse designat: illud, quae tale, (mea quidem sententia) directo ad disciplinam hanc spectare est existimandum. Veruntamen cum opus non sit, in Entis Positiui cognitione ad illas usque eiusdem Species descendere, quarum cognitio Specialibus Disciplinis magis commode est reseruanda: certum est, quod huius Generalis Disciplinae descensus contemplatiuus in illis Entis positiui speciebus debeat subsistere, à quibus Disciplinae Speciales debent

bent

bent suam contemplationem exordiri. Et quia SPECIALIS Philosophia Theoretica duplex habet primarium Obiectum; DEVM scilicet & CREATURAS; hasque in statu vel NATURALI vel SOCIALI cognoscendas; unde THEOLOGIA, IURISPRUDENTIA & MEDICINA Philosophico-Theoretica, seu Rerum Supernaturalium, Civilium & Naturalium contemplatio, (quae METAPHYSICA, sensu Aristotelico accepta, itemque POLITICA & PHYSICA dici potest,) constitutionem suam trahit: poterit ad limites Doctrinae observandos pro AXIOMATE aut REGULA hic inseruire, ut, quaecunque non sunt adeo generalia, ut Entis increati & creati conceptu videri possint quodammodo latiora esse, ea etiam, (nisi forte cuiusdam praeparationis ergo,) ad Disciplinam hanc expresse, & pleniori tractatione non debeant referri. Quo ipso tandem ex nostro sensu haec erit genuina PRAESENTIS DISCIPLINAE DEFINITIO, quod sit Disciplina Theoretica Generalis, quae directo contemplatur ENS POSITIVUM in commune, quatenus id Disciplinarum Theoreticarum Specialium Obiecta quaevis propria ac specialia, (à quibus qua talibus abstrahitur,) ex sua latitudine transcendit, atque secundum ea, quae sub illius Notione in latitudine hac continentur, ita explicandum est, ut prima & universalis cognitionis Specialioris fundamenta in illa debeant proponi. Quae Definitio, si cum suppositis eidem fundamentis penitus inspiciatur: omnes propemodum credo difficultates per eam posse tolli, quas contra Scholasticos una cum STAHLIO magnopere urget Cl. IACOB. THOMASIVS, Schediasm. Histor. §. XVII n. 15. seqq.

§. XVII. Exhibita iam Definitione: facilius erit, de NOMINIBUS huius Disciplinae aliquid decernere, quae ipsa vel olim gessit, vel quibus hodieque solet insigniri. Haec inter METAPHYSICES praesertim nomen, (cuius Graecam originem nesciens FRANCISCUS BONAE SPEI, latine id *Metam Physices* interpretatus est,) maximas semper difficultates peperit: quod tamen in tali forma unius vocis, in quam successu temporis coaluit, apud Graecos, quod sciam, nusquam legitur; quippe qui Libros Aristotelis huc pertinentes, titulo pluribus vocibus constante, τὰς μετὰ τὰ φυσικά, h. e. illos, qui sunt post vel trans Physica, constanter appellare consueverunt. Quare, cum Libri hi, ambigua tituli interpretatione, cum Post-tum Trans-Naturales videri possint nominati esse: quaenam interpretatio, quibusque rationibus, alteri sit praeferranda, disputatur. Mea sententia hos Libros ex prima intentione illorum, qui primo nomen hoc imposuerunt, non tam Trans-Naturales, quam Post-Naturales fuisse dictos existimauerim; Sed ita tamen, ut posterior denominandi ratio priorem

ex parte rei quodammodo includat & respiciat. Certum enim est, iam saepe nominatos Libros esse olim *Libris Physicis* in *lectionis & collocationis* ordine *postpositos*; & veteres Aristotelicorum Librorum collectores, qui titulum hunc praefixerunt, id singulariter videri respexisse. Hanc *Postpositionem* autem esse factam, non, quod de alio loco iisdem ex alia ratione tribuendo plane non constaret; sed, quod ex ordine *Inventionis*, qua fuit haec doctrina post *Physicam* serius exulta, itemque ex ordine *Cognitionis imperfectioris*, à Sensibilibus ad Intelligibilia, à Singularibus ad Universalia, à Specialibus ad Generalia, itemque à Naturalibus ad Supernaturalia, *gradatim ascendens*, (quo ipso etiam obiectum huius Disciplinae *Res Physicas* vel *Dignitate* vel *Vniuersalitate* transcendere non sine ratione poterat videri,) hunc locum ac titulum iisdem conuenite iudicatum sit. Cui quidem nostrae Sententiae plura tum *Platonis & Aristotelis* ipsius, tum quoque veterum *Interpretum Graecorum* loca & expositiones suffragantur; quae apud *DREIERVM* de *Prim. Philosoph. Disput. III. Th. I.* & apud *SONERVM* *Prolegom. in Libb. Metaphys. §. VI.* studiose reperiuntur annotata. Postquam autem haec Disciplina *in aliam formam*, (de qua §. VII. diximus,) quodammodo & transmutata: extiterunt illorum etiam haud pauci, qui *ONTOLOGIAE* aut *ONTOSOPHIAE* Nomine eandem insigniri maluerunt; quod praeter *GREIDANVM & LOBKOVVIZIUM*, (à *Rudrauffio* *Philos. Prim. Errant. Diatr. I. n. III.* nominatim idcirco reprehensos,) etiam fecit *IOH. CLAVBERGIUS*, itemque *IOH. CLERICVS & alii*; id quod & *Celeb. BVDDIUS* *Philosoph. Instr. P. IV. c. I. §. V.* ab ipsa veterum mente tam parum putat esse alienum, ut *Ontologiae* longe rectius quam ipsum *Metaphysices* nomen eidem conuenire existimet. Ut vero hoc, si debito modo explicetur, vel hodieque retineri posse sentiam; non possum tamen diffiteri, per adhibitum *Ontologiae* nomen *Scopum Obiectum* huius Disciplinae clarius patefcere; praesertim si iam superius §. X. & XI. cum eadem collata *Disciplina Generalis Practica* sub *Generalis Ethologiae* vel *Praxiologiae* titulo è regione eidem opponatur. Quod si tamen & hoc non satis placeat; commodissimum fortasse fuerit, si *utraque haec Disciplina* sub Titulo *PHILOSOPHIAE PRIMAE THEORETICAE ac PRACTICAE*, (quam *Generalem* quoque aut *Fundamentalem* liceret appellare,) ipsarum cultoribus commendaretur: hactamen adhibenda cautione, ne *PRIMA* Philosophia eadem esse putetur cum *PRIMARIA*; neque & alii ipsius *TITVLI HONORIFICI*, de quibus (ut & de nomine *Theologiae*,) infra dicemus, cum eius *nomimibus* veluti *natiuis* confundantur.

§. XVIII. Vidimus hucusque, quid de *Natura & Constitutione* praesentis *Disciplinae*, deque varia eiusdem *Denominatione*, sit nobis statuendum: restat autem, vt iam perspecto illius *Obiecto* atque *Scopo*, de *VSV* eius paulo disertius agamus; per quem nihil aliud hic designamus, quam *explicationem distinctiorem istorum COMMODORVM*, quae ab illius *tractatione* pendent, si ea ad *suum Scopum*, illo quo decet modo, dirigatur. Hunc enim, si *digne*, eoque *cum fructu* consequi allaboremus, quem in §. XI. tanquam *primarium & quasi Generalem*, in eo diximus consistere, vt ex *consideratione Notionum Rerumque maxime Generalium primo-prima & maxime Vniuersalia totius Theoreticae Philosophiae vereque Rationalis Cognitionis* ponantur *fundamenta*: dubium non est, quin hoc ipso etiam *sequentes VSVS*, *Commodaque insignia*, per eam sint nobis aduenturi. *PRIMVS* erit, vt *omnium nostrorum Conceptuum*, quos vere de *Rebus* formare possumus, *vera quaedam Genealogia* atque *mutua veluti Cognatio*, in *recta & collateralis Linea*, per *Ascensum* ac *Descensum* cognitionis nostrae, nobis hic *repraesentetur*, & inde à *prima sua origine*, *secundum naturalem concipiendi ordinem* aut *consecutionem*, deducatur. *SECUNDVS*, vt *Rerum maxime Vniuersalium*, in hac *prima Genealogia comprehensarum*, quae *Specialioribus quibusque rebus per naturam insunt*, *iisdemque rectissime explicandis* inseruiunt, per *accuratas Definitiones* ac *Diuisiones claros distinctosque conceptus* habeamus. *TERTIVS*, vt ex *mutua Analogia* ac *ἁπλοῦς* seu *Habitudine* aut *Relatione generalissimorum* atque *simplicissimorum conceptuum* deducamus *Generalissima & Prima Axiomata*, seu *Propositiones fundamentales*, quarum *veritas constet ex ipsis terminis*, quarumque *tanta sit certitudo*, vt *omnes aliae Propositiones Specialiores*, de quibus cum *ratione certi aliquid cognoscimus*, *iisdem innitantur*, postremoque in *istas resoluantur*. *QUARTVS*, vt *solida exinde habeamus omnium Demonstrationum & Argumentationum prima principia*, à quibus non tantum *omnium Praemissarum ultimae Probationes* pendeant, sed *primi quoque fontes Mediorum probandi* recludantur; declarando scilicet nobis *primos Rerum omnium relativos Nexus*, in quibus situm est *primum fundamentum omnis cohaerentiae inter Conclusionum Subiecta & Praedicata*, de se inuicem demonstrabilia. *QUINTVS*, vt inseruiatur *Ordini* ac *Dispositioni omnium nostrorum Specialium Conceptuum*; ostendendo nobis *Generales & bene ordinatas Rerum Classes*, ad quas *omnia Mentis nostrae Obiecta distincte referri queant*, quibusque omnes nostrae cogitationes, in *rationali Meditationum suarum progressu*, *commode utantur*. *SEXTVS*, vt non tantum in cogitando,

tando.

tando, sed etiam in loquendo seu dicendo debitam consequamur ἀκριβείαν; & quicquid proinde in conceptibus & verbis aliquid confusionis aut obscuritatis habet, quod accurate attendentibus offensionem, caeteris autem ac nobis ipsis implicationi esse potest, decenter euitemus. SEPTIMVS, vt hac quoque ratione in docendo ac discendo, in interpretando ac disputando, in adstruendo & refutando, in componendo ac resoluendo, nos eo conuenientius geramus. OCTAVVS, vt per recte cognitae Rerum Generalium Definitiones ac Distinctiones, variasque hinc resultantes Specierum subordinaciones aut coordinaciones, etiam limites ponantur Disciplinis Specialioribus, iisdemque non tantum debita Obiecta tribuantur, sed illae etiam ad rationem obiectorum suorum formalium tanto maiori cura restringantur, ordineque conuenienti tractentur. NONVS denique erit, vt horum omnium beneficio in Specialioribus Disciplinis tanto facilius progredi queamus; neque habeamus opus, in singulis cum summo taedio ea semper repetere aut explicare, quae Generalia sunt, & omnibus Disciplinis hoc ipso communia, ideoque & merito in istis supponenda. Et HI quidem sunt illi INSIGNIORES VSVS, ad quos vere decenterque per primam hanc Philosophiam obtinendos debemus contendere: quorum si non omnes, tamen plerosque ab aliis quoque subinde sparsim annotatos deprehendimus; ceu patet ex SYSTEMATICIS celebrioribus, (quos inter EBELIVM nostrum ac PAVLVM VOETIVM prae aliis conferri malim,) itemque ex Celeberr. BVDDI Philosoph. Instrumentali Part. IV. c. I. §. IV. nec non ex IOH. CLERICI Praefat. ad Ontolog. §. VII. seqq. & Cl. GROSSERI Dialog. de Etud. Part. II. Dial. II. p. 249. seqq. quibus à Gallicis Scriptoribus addi imprimis possunt RENAT. RAPINVS, Reflexions sur la Metaphysique, §. I. & CLAVDIVS FLEVRY, Traité du Choix & de la Methode des Etudes, §. XIX.

§. XIX. Praeter Utilitatem huius Doctrinae iam porro & NECESSITAS eiusdem est nobis demonstranda: quae pendet partim ab ipsa Necessitate dictorum Vsuum, partim etiam ex eo, quod Vsus isti sine illius ope non possint aequè certo commodeque obtineri. Clarissime autem virumque horum poterit patere, dummodo cogitemus, quod prima Rationalis cognitionis Fundamenta, (à quibus porro & varius iste Luminis Naturae, per nouem distincta argumenta generatim modo expositus, dependet Vsus,) pro mensura istarum virium, quae nobis diuinitus concessae sunt, solide & accurate poni atque tradi omnino sit necesse; quodque ad hoc ipsum rectissime praestandam etiam omnino requiratur Disciplinae alicuius institutio, quae sit in eum finem exactissimo studio & cultu comparata. Quam etsi perfecte  
adeo

adeo excultam adhuc hodie desideremus: ex eo tamen haud licuerit inferre, ac si perfectior dati nec potuerit nec debuerit; cum multum in hac quoque Doctrinae parte subsit *humanae culpa*, cui varii eiusdem defectus & abusus *maiori iure*, quam soli quidem *humanae infirmitati*, possint adscribi. Confirmat porro hanc Necessitatem vel ipse *Vniuersitatis Rerum* varietate & ordine *mirificus & ornatissimus complexus*: in quo videmus *Principia à suis Principiatis, Subiecta à suis Attributis, Causas à suis Effectibus, Materias à suis Formis, Efficientes à suis Finibus, Substantias à suis Accidentibus, Spiritus à Corporibus, Quantitates à Qualitatibus, & plura alia ab aliis, per ipsam Naturam eiusque Conditorum, reuera & citra fictionem, vbique esse distincta*; quæ certe sunt nostra contemplatione, quam debet disciplina haec dirigere, certosque intra terminos continere, longe dignissima. Confirmat eandem *inditus Menti nostrae ad sciendum stimulus*, quo fit, vt ignotis rebus quibuscunque oblatis, *QVID illae sint*, sciscitemur omnes, easque *ad suas Classes referri cupiamus*; itemque & *Rationalis Conceptuum ordo*, quo fit, vt ab *Idea Entis omnia deducamus*, ad eamque omnia *reducamus*, & quando ignoti aliquid è *longinquo percipimus, per Gradus hosce ad eius cognitionem pertingamus*, vt primo *Ens aliquod reale, tum Substantiam, tum Corpus, tum Animal, tum Hominem, tum Virum, tum Ciuem, &c.* nos percepisse sentiamus. Quare simul aut *Omnes reliquae Disciplinae erunt abiiciendae*; aut haec quoque, quae est *caeterarum omnium commune fundamentum*, imprimis erit retinenda: cum alias mancum foret & fundamento suo destitutum *Scientiarum omnium Systema Doctrinale*; cuius delineationem correctiorem dedimus in *PROTHEOR. Erud. Human. Vniuers. Cap. X. & locis iam supra §. X. sub finem allegatis*. Id quod prae aliis solide etiam monstrauit supra allegatus *PAVLVS VOETIVS* in *prim. Philosoph. Reform. C. I. Sect. II. §. III.* cui optime quoque respondet *totius Arboris Sapientiae Systema*, quod à me fuit exhibitum in *cit. PROTHEOR. C. XI. Qu. XC. p. 705. seqq.* vbi nempe *Philosophia prima in ea Stirpis, (instrumentalem Philosophiam referentis,) summitate constituta est, qua tres maiores arboris Rami, (sive Facultates ac Disciplinae Speciales) proximum ad distinctam sui explicationem fundamentum accipiunt*. Quae pars Arboris etsi caeterarum omnium sit *maxime dura & nodosa*, ac tantam, quantam ipsi Rami ac frondes, foliis suis atque fructibus ornati, haud praebet iucunditatem: *Utilitate tamen sua ac necessitate naturali ideo haud destituitur; sed talis omnino est, vt ipsis quoque Ramis sua inde constet amoenitas*. Plura de *Vtili pariter ac*

D

*necessaria*

*necessaria Rerum Generalium cognitione habituali videantur in saepius citata PROTHEOR. Erud. c. X. p. 664. seqq. & c. XI. pag. 694. seqq. nec non c. IV. p. 140. seqq. quae loca velim omnino hic conferri, ac debita attentione ponderari.*

§. XX. Quamquam autem haec nostra Disciplina *Utilitate ac Necessitate* sua admodum commendabilis haberi queat: mirum tamen haud est, si ea per *multifarium Abusum* reddatur sibi ipsi adeo dissimilis, ut, qualis sit aut esse debeat, vix possit amplius cognosci. Duo autem sunt, quae sub *ABVSVS* nomine venire possunt: quorum *alterum* sub ratione *DEFFECTVS* opponitur *Vsui* negatiue seu contradictorie; *alterum* sub ratione *DEPRAVATIONIS* positivae seu contrariae; sicque efficitur, ut Disciplina haec ad verum *Vsum* sit vel *inidonea*, vel plane *adversaria* & noxia. *ILLUD* deprehendimus, quando ipsa ad *Vsum* laudabilem, quam debet atque potest habere, decenti modo non dirigatur: Hoc autem, quando eadem aut prorsus deprauatur, aut etiam, qua sana adhuc est & integra, ad spurios plane & illegitimos transfertur *Vsus*. Id quod *tot quidem modis* posse fieri facile intelligitur, quot huius *Doctrinae esse Vsus* §. XVIII. iam ostensum est: ubi tamen & hoc addo, *Abusum eius quemcumque ex eo etiam diversum esse*, quod Disciplinam hanc respiciat vel *instruendam*, vel *docendam*, vel *discendam*, vel *applicandam*; atque haec quidem ita se habent, ut quicquid in *unoquoque priori* est peccatum, illud quoque in *posteriora omnia* redundet. De his igitur etsi plura iam *specialim* possent in medium proferri; nolo tamen in istis recensendis h. l. immorari: Sed cum *pleraeque obiectiones*, quibus haec disciplina impugnatur, reuera ab *eius defectibus & corruptelis* soleant desumi; erit de hisce in *sequentibus paragraphis* commodior dicendi locus, ubi de *infringendis* istis *obiectionibus* ex instituto fuerit agendum. Interea, cum vel in vulgus notum sit, quod *ABVSVS*, praesertim si separabilis sit, *haud tollat VSUM*: liceat hoc *generatim* in animum iam reuocare illis, qui *Abusibus* minime probandis succensentes, eo se induci patiuntur, ut *Vsum* quoque illius, etsi vel *maxime probandum*, nolint admitttere; atque sic in eam deueniant sententiam, quasi haec disciplina non tantum pro *minus utili & necessaria*, sed quoque pro *inutili prorsus & superuacanea*, imo & pro *damnosa ac nociva* debeat haberi. Quorum quidem Sententiae tametsi iam suo tempore *PLUTARCHVS* videatur suffragatus esse, qui de *Metaphysica Aristotelis doctrina* haud bene sentiens, in *Alexandro* ait, *Ἀληθῶς ἡ μετὰ τὰ Φυσικὰ πραγματεῖα πρὸς διδασκαλίαν καὶ μάθησιν ἔδεν ἔχει χρίσιμον*, hisque *disertis*



disertis verbis aperte satis pronuntiat, quod *reuera haec Metaphysica tractatio ad docendum & discendum nil habeat utilitatis*: parum tamen hoc testimonio efficietur, si rem ipsam penitus inspiciamus. Vt enim taceam, à *repudiata Aristotelis doctrina ad repudiandam totam hancce disciplinam* haud firmum posse argumentum duci: certe *nondum à Plutarcho demonstratum est*, quod is aduersus Aristotelis Libros durius iusto videtur statuisse. Imo vero & ipse PETRVS RAMVS, qui ad euincendam *Metaphysicae Aristoteleae Metaeologiam* in praefatione ad suas Scholas *Plutarchi* hocce loco singulariter vsus fuit, in eo allegando *tam parum sibi constat*, vt, cum nihil iste frequentius obiiceret Aristoteli, quam quod hic *Metaphysicam Doctrinam à Dialectica auulserit*, haec autem *Ramo* esset probatissima, ideoque si *Metaphysica cum Dialectica prorsus eadem esset*, hunc ipsum *Plutarchi* locum is sibi quoque aduersum fore intelligeret, postea in ipsis Scholis p. 861. eundem ita mitigauerit, ac si tantummodo *Plutarchus nihil utilitatis nouae* in istis Libris esse monuisset.

§. XXI. Sed videamus iam, quid illi nobis obiiciant, quibus *Doctrina Metaphysica* vel solo nomine adeo exosa est, vt eo audito aut bilem aut risum sibi sentiant moueri. Hos inter primo loco nobis occurrunt, qui *NOUITATEM* Disciplinae huic obiiciunt; dicentes, *eam antiquis Sapientibus fuisse ignoratam*, ac *sero demum ex Aristotelis cerebro inuentam*, quo *Cacodaemon* vsus sit pro instrumento, ad corrumpendam & obscurandam *Physicam*, cui diuinitus datae hominibus Disciplinae hanc ille spuriam suam *Metaphysicam* debuisset attexere. His respondemus, quod argumentum hoc à *Novitate* desumptum tantum roboris habere non possit, quantum ipsi forte tribuitur. *Partim*, quia certum est, hanc Disciplinam iam ante Aristotelis tempora fuisse quodammodo excultam, & sine dubio ex ipso Oriente ad Graecos deriuatam, vt in §. I. pluribus probatum dedimus: *partim* etiam, quia Disciplinarum *Novitas* earum Dignitati minime praeciudicat, cum & *Ethica* post *Physicam* sit serius exculta, ac saepe res vel nobilissimae per plura secula iaceant neglectae, notumque sit etiam insigne istud *CICERONIS* testimonium, quo *Tuscul. Quaes. L. III.* *Humanae* hoc tribuit peruersitati, quod, quae *ad Animi culturam & medicinam* pertinent, nec tam desiderata fuerint, antequam inuenta, nec tam culta, posteaquam cognita; nec tam multis grata & probata, pluribus etiam suspecta & inuisa. Sed *nolo tamen hoc urgere*; cum putem & alias adhuc subesse causas, cur primi Sapientes de hac *Doctrina* perficienda non aequè laborauerint, quam quidem sequiorum temporum Philosophi.

Cum enim non tam à conceptuali Rerum *Vniuersalium*, quam experimentali *Singularium* Cognitione philosophandi faciendum esset initium: laudanda sane in eo est veterum Philosophorum prouidentia, quod accurato *Rerum Sensu* atque *Vsu* viam sternere voluerint futuris Successoribus, vt *solidas ipsorum observationes* tanquam *Doctrinae solidioris Apparatum* magis magisque conuerterent in *elaboratam Disciplinae* formam, & *Conceptualia* denique coniungerent cum *Rebus ipsis*. Quod, etsi in eo infeliciter cessit, vt postea de *Conceptualibus* magis quam de *Realibus* ageretur: certum tamen adhuc manet & immotum, vtrumque horum tandem coniungi magis magisque debuisse ac potuisse; imo hanc ipsam *Disciplinarum perfectionem summam* vltimis temporibus à Deo esse reseruatam, haud obscuris colligitur indiciis. (Conferatur PROTHEOR. Erudit. c. XV. qu. CVIII. p. 846. seqq. vt & c. V. qu. L. p. 224.) Accedit, quod nocumenta illa, quae saniori Philosophiae per Scholasticorum deliria ex *Logicae ac Metaphysicae Aristotelicae abusu* sunt enata, ipsi Aristoteli haud possint indiscriminatim imputari: quippe qui non tantum sub ipso Librorum *Metaphysicorum* ingressu manifesto satis docuit, quomodo per *Experientiam* ad comparandam *Scientiam* magis magisque Homines fuerint progressi, quodque & ita fieri omnino debeat, vt *Rationalia* in ipsis *Realibus* fundentur; sed etiam *Physices studio impense deditus*, exemplo suo voluit docere, tantum abfuisse ab ipsius mente, vt *Physica* per *Metaphysicam* contemneretur, vt potius per *Physicam* ad *Metaphysicam* parandum esse aditum, vbi que fere inculcauerit. Id quod tanto quidem patebit luculentius, si recordemur, qua ratione *Aristoteli* fuerit propositum, in *Metaphysicis* de *Deo ac rebus Supernaturalibus* potissimum agere: quam *contemplationem vere Metaphysicam*, (vt quae fatente etiam H. NR. MORO Enchir. *Metaphys.* c. I. sit nobilissimus maximeque genuinus Philosophiae naturalis fructus.) post *Physicam* demum esse instituendam, constans cum veterum aliorum, tum & *Aristotelis ipsius* sententia extitit. Qui, etsi non satis maturo aut prouido conatu rem adeo sublimem sit aggressus; multosque *crassiores* in *Naturali Theologia* commiserit errores, à P. RAMO in *Schol. ad Metaphys.* L. XIV. c. VI. summam indicatos: haud tamen ipsi conatui idcirco est prorsus indignandum; sed probandum potius illius institutum, inque caeteris prouidendum, vt rectius nos quam ille id ipsum exequamur.

§. XXII. Sunt porro & alii, qui *LOGOMACHIAE* vitium *Disciplinae* exprobrantes, eandem de verbis tantum altercari existimant; aut, si paulo mitius sentire velint, circa *nimias ABSTRACTIONES* dicant eam

occu-

occupari, sicque à vera philosophandi ratione, quae non tam *Vniuersa-*  
*libus* quam *Singularibus* intenta sit, deflectere eandem conqueruntur. His  
*primum* respondeo, quod, etsi turpe vitium sit *λογομαχεῖν*, idque à SA-  
 MVELE WERENFELSIO in Libello eleganti, quod de hoc vitio conscripsit,  
 dignis coloribus depictum; tamen non omnis disputatio de vocibus huius vi-  
 tii praetextu penitus sit improbanda. Cum enim publice intersit, vt vo-  
 ces, quarum certus & distinctus debet esse vsus, ad certum ac determina-  
 tum Sensum restringantur: non potest sane hic labor exprobrari illis, qui-  
 bus cura haec prae aliis incumbit; si quidem debita cum moderatione, con-  
 uenientique tempore ac loco, eadem adhibeatur. Imo, si vera est (de qua  
 deinceps videbimus) quorundam sententia, quod Metaphysica pro Lexi-  
 co-Philosophico debeat haberi: posset certe illi accuratior vocum philosophi-  
 carum expositio eo minus verti in vitium. Sed tantum abest, vt in doctrina  
 hac de solis Vocibus sit laborandum, vt potius de Rebus ipsis Generalibus, per  
 totam Rerum uniuersitatem longe lateque sese diffundentibus, agi in eadem  
 curatissime debeat. Harum explicatio solida vtvt Vocum late patentium  
 (ab ipso Aristotele iam deprehensa) ambiguitate reddatur difficilior: ta-  
 men nihil aliud exinde sequitur, quam vt oporteat eo maiori cura, cum  
 voces Rebus ipsis, tum res quoque Vocibus, quoad id facere licuerit, ac-  
 commodare. Deinde, quod nimias Abstractiones attinet: nescio, an  
 omnes, qui eas Metaphysicae obiciunt, satis vim huius vocis assequan-  
 tur. Si enim talem intelligunt Abstractionem, quae discedit à veritate ipsa-  
 rum Rerum, huiusque obliuiscitur: eam ab omnibus Disciplinis nos ipsi  
 volumus longissime abesse; & secus si fiat, facile concedimus, quod isto mo-  
 do multa sint abstrahentium mendacia. At si illa ex aduerso intelligitur Ab-  
 stractio, quae unum sine altero distincte menti repraesentat, & Vniuersales Sin-  
 gularium Ideas, in harum veritate solide fundatas, veluti commune omnium  
 exemplar, contemplandas nobis exhibet: ea certe cognitioni humanae per  
 ipsum Naturae Autorem prouide est attributa, & ad distinctam quamque  
 perceptionem ita prorsus necessaria, vt ne externi quidem sensus possint sine  
 illa distincte aliquid cognoscere; ideoque & hoc insigne Naturae benefi-  
 cium, (nisi forte Deum, qui solus intuitiua cognitione pollet velimus  
 aemulari,) cum in omnibus Disciplinis, tum quoque in hac nostra, in Ve-  
 ritatis non detrimentum sed emolumentum prouide debemus adhibere. Quod  
 autem haec Doctrina magis quam aliae Abstractionibus indulgere videa-  
 tur; id tantum ex eo est, quod Notiones Metaphysicae à Perceptione sen-  
 sitiuâ magis sint remotae, & puriori intellectu velint comprehendi: Ex

quo tamen non sequitur, ac si in rebus ipsis nullum hae Abstractiones haberent fundamentum; quod, (vti §. XIX. iam ostensum fuit,) est certe realissimum, & ab ipso quoque HENRICO MORO Enchir. Metaphys. Part. I. c. II. §. 4. disertis verbis obseruatum. Sed quod Scholastici Abstractionum fecerint Abstractiones, & hac Philosophiae parte iuxta cum Dialectica abusi sint pro instrumento, ad animum humanum in innumeras Notionum subtilitates discindendum: haec intemperies ipsorum non tollit Vtilitatem Doctrinae Ontologicae, sed iustis limitibus est coërcenda, inque ordinem conuenientem redigenda. Quam quidem in rem conferendus hic est imprimis Philosophus vere Sobrius & Academiae Noricae insignis decus GEORGIUS PAVLVS RÖTENBECCIUS, Logicae Vet. & Nou. Part. I. c. V. & VI. quaest. 857, seqq. vbi de Abstractione, vt solet, pererudite egit. Quae si recte omnia considerentur: patebit, quod vera Philosophia in solida Rerum Singularium cognitione fundetur equidem a radice; attamen non vnice in ea acquiescat; sed à Singularibus probe cognitis abstrahat Vniuersalia, h. e. ab Exemplis deriuat Praecepta, atque haec rursus cum illis semper soleat coniungere.

§. XXIII. Magis adhuc speciosa est obiectio eorum, qui Mentem per Metaphysicas Ideas nimis distrahi, & à solida Rerum cognitione auerti, perque omnes Speculationes transcendentales in Specialioribus Disciplinis nihil omnino praestari, ac ne vilissimas quidem Quaestiones resolui posse iudicant. Urget praecipue hoc dubium P. MALEBRANCHIUS L. III. de Inquir. Veritat. Part. I. c. III. vbi Aristotelis exemplo vult probare, Philosophos ingenium suum opprimere ac veluti dissipare; dum nullo naturali in studiis suis contemplatiuis ordine seruato, rebus incumbant, quae nimias in se includant Relationes, & à pluribus pendeant. Idem facit eiusdem Libri P. II. c. VIII. vbi praesentiam intimam Ideae vagae ENTIS in genere, (quam tamen ipse agnoscit multo magis quam vllam aliam humanae Menti diuinitus impressam esse, in eamque multo fortius agere,) causam esse dicit omnium Abstractionum inordinatarum Mentis, & plerarumque Chimaerarum Philosophiae vulgaris, quae impediunt, quo minus multi Philosophi agnoscant soliditatem verorum Principiorum Physices; id quod per exemplum de Essentia Materiae illustrat. His possem addere, quae olim quoque WENCESL. SCHILLINGIUS in Tractat. de Notitiis Naturalibus p. 121. sequentem in modum Metaphysicis obiecit. Mitto haec, ait, quidnam est Forma? statim dicam, quod informat aliquid. Sed quid hoc est? ostendam in Canis. Forma Canis est illud, quod facit, vt Canis sit Canis. Sed quid

quid facit? *Caneitas*. Vbi illa? *in Cane*. Sed nec video; nec alio modo sentio; quid sit: Quomodo ergo intelligam? Imaginare tibi aliquid *metaphysicabitudinaliter*. Sed cum per *praesentiam* *Caneitas* non apprehendatur, nec per *Speciem* accurrat: quomodo ex sese promit mens imaginem, quae non est ibi? Sincere igitur dico, hominem nec *Materiam* nec *Formam* intelligere ratione *Essentiae*, ut, nisi *Accidentium* imaginibus imbueretur, *externae Res* extra *Intellectum* plane ignorarentur. Haecenus verba *Schillingii*, qui in eotamen videtur esse à *Malebranchio* diuersus, quod hic *Essentias* *Reum* & *metaphysice* & *physice*, ipse autem nec *physice* nec *metaphysice* cognosci posse opinetur. Atque huc suo modo etiam spectant *Quaestiones illae Rusticanae & Plebeiae*, quarum *duas Decades* *Baccalaureandis* ac *Magistrandis* in *Philosophia* *transcendentali* pro *Examine Rigoroso* soluendas proposuit *ANONYMVS* iste *SATYRICVS*, qui *Metaphysicam* (quam germanice vocat *die Wohl-Ehrwürdige Großachtbare und Wohlgelahrte Uebernatur-Lehre* / 2c.) cum *facta Praefatione* *factae Vniuersitatis Abelonensis Paphlagonicae Germanico-Latinam* ante aliquot annos in publicum emisit, & *uniuerso Apparatu Metaphysico* easdem *resolui posse* iuit inficias. Ad haec ut respondeamus *ex rei veritate*: non possum non *Malebranchio* *caeterisque* in eo assentiri, quod *Notionum Ontologicarum cognitio nuda & sibi soli semper relicta*, aut etiam *specialibus rebus intempestiue applicata*, imo & nonnunquam *pro ipsa speciali cognitione inepte venditata*, *progressum* in *inquirenda solidiori veritate* haud parum possit impedire. Quaeso autem, quid aliud hoc est, quam quidem *apertus Doctrinae Metaphysicae Abusus*, quem, (salua adhuc ipsius *Disciplinae Dignitate*,) *ipsi etiam reuicimus*, & *summa cura euitandum esse* iudicamus. Nam sicuti minus recte faciunt, qui *citra omnem respectum ad solidam rerum singularium experientiam ideas abstractas generales* *Materiae* aut *Formae* aut *aliterius cuiusque* sibi formant: ita & *illorum merito deridenda esset temeritas*, qui, dum *generatim* norint, quid sit *Materia* aut *Forma*, hoc ipso etiam se nosse crederent *in specie*, quatenam sit *Materia* aut *Forma specialis physica* in hoc vel illo *Corpore*, aut saltem *hanc generalem Notionem* ante *impetratam satis cognitionem specialem intempestiue uellent applicare*. Aliud enim uero est officium *Metaphysici*: atque aliud *Physici*, *Ethici*, *Politici*. Ille debet ostendere, quidnam v. gr. sit *Materia* aut *Forma generatim*: Hi autem debent ostendere, quatenam sit *Materia* & *Forma* in hac vel illa *Re physica, ethica, politica, &c.* Qua propter *iniquissimum est illud Postulatum*, si uelis à *Metaphysico* *quatenam illa exigere*, quae ipse, tametsi posset, *qua talis praestare*

praestare

praestare non tenetur: cum certe ipsius officium non sit, docere, *quanam aut qualis sit Forma Canis*, sed tantum, *quidnam sit Forma Canis?* Ad quod *Ζητούμενον* satis iam respondit Metaphysicus, *Formam Canis esse Caninitatem*, vel si Latinius loqui velimus, *rationem essentialem, per quam Canis est Canis*. Vnde quod à *Metaphysico* exigitur hoc loco; id ipsum *Physicus*, si poterit, tenebitur praestare: idemque etiam ad *Quaestiones illas rusticanas* h. l. merito est regerendum. Quod si forte dicas, hoc modo cognitionem *Metaphysicam* seu *Ontologicam* esse nimis insufficientem & multum adhuc imperfectam: facilis erit Responsio, quod nemo sanus pro sufficiente & perfecta prorsus eandem venditauerit. An autem idcirco prorsus erit contemnenda? cum certe *specialis* cognitio supponat *Generalem*, indeque ne praestantissimus quidem *Physicus* *Formam Canis* possit declarare, aut *Notionem Formae* cognitioni suae applicare, nisi quid sit *Forma* à prima philosophia *Ontologica* clare distincteque explicatum satis ante intellexerit, ideoque accuratum *Metaphysicum* vel audiuerit, vel ipse egerit. Hinc satis habet iam honoris *Doctrina Metaphysica*: quod, etsi per eam solam nemo sit *Physicus*, *Ethicus*, *Politicus*, &c. tamen & sine ea hi tales esse nequeant: cum certum sit, *Disciplinarum specialium demonstrationes quascunque in prima principia Doctrinae istius generalis ultimo resolui*.

§. XXIV. Ex illo ipso autem dubio, cui iam confido satisfactum esse, nascitur adhuc aliud, quod certe non minori difficultate videtur laborare. Sunt enim, qui facile nobis largientur, *veritates primas Ontologicas amplissimae equidem Utilitatis esse*, & per omnes *speciales Disciplinas* se diffundere; sed eas tamen dicent per seipsas esse adeo perspicuas, ut, nisi omni data opera easdem velimus obscurare, tum quidem *omnibus in uniuersum hominibus*, (interque illos vel ipsis infantibus ac mente captis,) haec ipsae iam sua sponte ita pateant, ut eas *quenquam velle docere*, videatur prorsus *ridiculum ac superuacaneum*. Hinc quando v. gr. proferuntur *Regulae Metaphysicae*, *Totum esse maius qualibet parte sua*, *Partem minorem esse toto*, & alia his similia: existimantur à nonnullis *Metaphysici* aut *bruta esse*, qui talia è *Metaphysica* demum discant, aut *omnes alios homines pro brutis habere*; crediturque tertium non dari, nisi in affectatis ineptiis. Ita enim censuit *Doctissimus quidam* mihi que caeteroquin merito aestimandus *AUTOR*: qui non ita pridem *Medicinam Mentis* edidit, *aduersusque Metaphysicas doctrinas*, quarum aliquod *compendium* ad calcem *Libri superuacaneorum* nomine adiecit, *has atque alias censuras* protulit. A quibus etiam in illa parte non discedit *alius quidam ILLUSTRIS* mihi que magni faciendus *AUTOR*;

AUTOR;

AVTOR, qui itidem per editam ante aliquot annos *Mentis Corporisque Medicinam*, perque plures alios ingenii praeclari foetus, magnam sui nominis celebritatem consecutus est: in eiusque Part. II. p. 25. *vulgares Philosophos* vix tali titulo dignos, magisque *verbales* quam *reales* dicendos esse ideo pronuntiat, quod *tota illorum Scientia* nil fere aliud comprehendat, quam quod *cuius obuium est*, iuxta ac magnam *farraginem obscurorum terminorum*, qui *ignaris quicquam sublimioris scientiae* videantur promittere; cum tamen *inter Rusticum & inter talem Philosophum* nulla alia sit differentia, quam quod ille ea se *nescire* dicat, quibus hic *occultarum qualitatum nomen* induat, & quod ille *populari sermone* ea proferat simpliciter, quibus hic *praeter technica vocabula* nil nisi *ordinem aliquem* adiiciat. Imo sunt quoque, qui cum *Terminis Metaphysicis & Logicis* perinde id putant esse comparatum, sicuti cum *vilissimorum quorundam homuncionum titulis*; per quos ipsi latine *Dn. Calefactoris, Dn. Calcantis, Dn. Visuatoris* nominibus vocari mallent, ne vernaculae Linguae nomina muneris tenuitatem proderent. Quibus certe Obiectionibus haud exiguum videri potest inesse robur: & ipse ego iam plures ante annos *plebeiae Metaphysicae specimen* in Schedis meis inuenio me consignasse, cuius aliqua hic proferam exempla. Quaeso enim, cur *PISTOR VNVSQVISQVE* panem conficere haud meditatatur, dum illis adhuc destituitur, quae ad panem conficiendum requiruntur? anne, quia nouit, *Non Entis nullas esse Affectiones, & ex Nihilo Nihilum fieri*? Quaeso, cur panem non ex lignis conficit vel lapidibus? anne, quia nouit, *Materiam debere conuenire suo Materiato*? Quaeso, cur panem non aequè è granis integris, quam in farinam redactis conficere allaborat; aut cur farinam porro perfundit aqua, & aqua perfusam subigit, inque massam fermentatam redigit, redactamque ad se disperdendum calefacit ac fouet? anne, quia nouit, *ex Materia etiam idonea non posse fieri Materiatum, nisi Materia sit satis praeparata ad recipiendam Formam*? Quaeso, cur panem non prius nominat, quam quando is iam igne coctus, pleneque confectus, aut saltem iam potentia proxima iam constitutus est? anne, quia nouit, *Omnia quae sunt, per Formam suam esse id, quod sum; ideoque tale quid non posse dici, antequam ipsis forma debita sit introducta*? Quaeso, cur varia opificii sui instrumenta sibi parat, nec prius id exercet, quam instrumenta illa sint praesto? anne, quia nouit, *Efficientem causam instrumentali indigentem sine illa nil posse agere, & omne instrumentum debere & Efficienti & Effectui accommodatum esse*? Quaeso, cur maiorem honorem tribuit seruo suo, quam rasulae aut infurnibulo?

E

bulo?

bulo? anne, quia nouit, *Causam Efficientem Sociam ac Ministerialem esse Instrumentali potiore?* Quaeso, cur Ignem maiori cura obseruat, ac suum famulitium: anne, quia nouit, *Causam liberam sui ipsius curam gerere posse, Causam Naturalem autem agere ad extremum virium suarum?* Quaeso, cur aliam formam dat placentae tortili vel spirae, atque aliam libo vel scriblitae? anne, quia nouit, *quod Forma det esse & distingui?* Cur panes non facit maiores, ac ostium fornacis? anne, quia nouit, *Omne contentum debere minus esse suo continente?* Quaeso, cur panes nullos conficit, quando nullos emtum iri sperat? anne, quia nouit, *quod cessante Fine cesset Actio?* Cur panes aequalis ponderis vendit aequali pretio? anne, quia nouit, *Similium similem esse rationem?* Cur eundem panem emtoribus ter forte exhibitum non vendit pro tribus panibus, sed pro vno? anne, quia nouit, *quod Numerus Actuum circa rem unam per se non possit multiplicare Numerum ipsius Rei?* Quaeso, cur tradito emtori pane illico cogitat de solutione? anne, quia nouit, *Relata esse simul natura, & posito vno Relatorum, poni & alterum?* En, quanta in Pictore est Regularum Metaphysicarum, quas ipse tamen nunquam didicit, notitia? qualis certe vel in *Asinis* quoque deprehenditur ac *Bobus*, qui per vim similitum Principiorum non bibunt ex vase, quod aquam nullam continet, nec volunt intrare per parietes, & quae sunt alia, quibus & Bruta videantur callere Metaphysicam. At vero, quam speciosa sint ista omnia ad eliminandam Disciplinam Ontologicam: nondum tamen istis me sentio conuinci, ad tale quid per ea admittendum. Agnosco lubens, cognitionem horum principiorum qualemcunque *Homini*bus omnibus, ex rerum generalissimarum quotidiano sensu atque usu, esse quodammodo communem, & in *Brutis* quoque animantibus dari instinctus quosdam his ipsis principiis conformes: Sed ex eo tamen haud sequitur, ac si illa ab *Homine Rationali* vsu praedito non magis magisque excoli debeant ac possint; cum tanta horum principiorum sit praestantia, vt omnis nostra certitudo iisdem innitatur. Deprehendimus porro & aliarum quarumcunque *Scientiarum* in hominibus vel stupidissimis, & in ipsis quoque brutis animantibus, vestigia haud pauca; quousque scilicet earum veritas in ipsis sensibus fundatur: neque tamen ad istas quoque *Scientias* eliminandas argumentum firmum exinde ducitur; cum minime sit absurdum, vt ea & rationaliter cognoscat homo, perque claros, distinctos & ordinatos conceptus sibi repraesentet, quae *Sensibus* quoque sunt suo modo cognita, quorumque, si sobrie ac homini *Rationali* haud indignis modis, per debitam culturam, ad sui perfectionem certumque

cogni-



cognitionis habitum deducantur, multa possunt esse commoda, ad perfectiorem Rerum contemplationem, pluresque huic annexos usus, profutura. Quamobrem nec aegre ferent Viri isti Doctissimi, si modeste ab iis in hac parte dissentiam: praesertim, cum & ipse *Illustr. Medicinae Mentis Autor* recte alias doceat, cognitionem *Sensualem & Imaginariam* ab ea, quae vere *Intellectualis & Rationali Homine digna est*, quam longissime differre; atque probe etiam meminerim, me olim ex ipso sciscitantem, qua *Methodo ad solidam Rerum Mathematicarum scientiam commode posset perueniri*, hoc prudentissimum ab ipsius ore retulisse responsum, quod *Veritatum Mathematicarum simplicissimarum*, (quae certe cum *Metaphysicis* eandem habent eidentiam, ideoque & ipsae à plerisque tanquam illis iam satis notae despiciatius haberi solent,) frequens & considerata *Meditatio* viam ad illius fastigium certissimam pararet. De caeteris autem, quae ad Abusum huius doctrinae pertinent, cum iam superius sit dictum, denuo idem dicere non vacat.

§. XXV. Ex iisdem scilicet, quae de Abusu huius Doctrinae iam superius sunt observata, facile denique & istud, quod adhuc restat, *dubium* soluetur, per quod forte obiicitur, egregios *Metaphysicos & Logicos* maximos plerumque fieri *Sophistas*; aut tanta etiam *stoliditate ac Pedantismi insolentia maxime omnium insignes*, ut inter illos, qui *Philosophi videri velint*, genus *hominum stolidius nec sit, nec fuerit, nec unquam futurum sit* sub sole. Cum enim vel optimarum quarumque Rerum pessima quandoque esse soleat corruptio: mirum certe non est, hanc quoque innocentem *Disciplinam & pluribus commodis inservientem* *Hominum Abusu & Caco-daemonis Astutia adeo fuisse depravatam detestabilemque redditam*, ut nunc *viris quoque bonis sit quam maxime exosa*. Id quod eo modo potissimum accidit, quando *neglecto Rerum ipsarum studio non nisi falsis & sterilibus Ideis inhaeremus*: & si quas forte adhuc habemus meliores, eas tamen aliis *Rebus parum cognitis inepte ac intempestive applicamus*; atque interim tamen singulariter videmur nobis sapere, *Rerumque gravissimarum destituti Usu*, in rebus vel *levissimis sophisticamur*. Hoc enim modo factum est, ut *totafere Rationalis Philosophia*, in *Veritatis & verae Sapientiae emolumentum diuinitus concessa*, in *falsissimarum ac stolidissimarum Sophisticationum Πανοπλίαν* fuerit conuersa, plurimisque *ineptiis contaminata*. Quarum inter plures alias insigne edidit specimen *IOH. CARAMVEL, Episcopus Vigleuanensis*; qui, quas caeteri *Monachorum* laeserant, novas *Donati Regulas & verborum Flexiones*, (per quas e.g. ad *Metaphysicos*

conceptus designandos, loco *Sum* dici possit *Sam, sem, sym, som, sum,* & Actiue, *Samo, semo, symo, somo, sumo, &c.*) ausu plane puerili praescribere suscepit; in opere, anno 1681. Vigleuani in Folio edito, cui recte Titulum imposuit, *Leptotaton, Latine Subtilissimum, de noua Dialecto Metaphysica*; qua de re pluribus videatur Celeberr. RECHENBERGII Dissertat. de Ineptiis Clericor. Roman. Literariis §. IX nec non Cl. PASCHII Tractatus de Inuent. Nou. Antiqu. c. II. §. XV. & *Acta Erudit. Lips.* ad annum 1683. p. 532, seqq. Talia enim, & caetera omnia his similia, ab omni sana Philosophia exulare merito iubemus.

§. XXVI. Post haec & illorum nobis adhuc penitus inspicienda est sententia, qui aliquem, eumque haud exiguum, Doctrinae Ontologicae confitentes usum, ipsam tamen non nisi pro LEXICO quodam PHILOSOPHICO habendam, vel certe cum LOGICA seu DIALECTICA omnino coniungendam aut coniunctam esse iudicant. Et prior quidem *Opinio* his nostris temporibus Viros quosdam Celebb. Patronos ac Defensores nacta est: quos inter praecipue nominandus est IACOB. THOMASIVS; quem nempe, cum in *Historia Metaphysices* §§. 16, 18, 19, &c. & in *Schediasm. Histor.* §. 17, n. 20, ratione quadam plausibili id publice afferuisset, plures postea secuti sunt; sic, vt & Celeberr. BVDDEVS hanc ipsam sententiam omnino amplectatur. Sed cum Doctrina nostra *Ontologica, solas explicare voces* (id quod Lexici est,) minime habeat propositum, sed proprium suum agnoscat *Obiectum reale*, quod *scientificè* tractari possit ac debeat, atque ex ista hypothesis etiam *tota illa*, quam supra demonstrauius, *Philosophia prima* subuertatur, nec non *tota Philosophia Theoretica specialis* fundamento suo generali hoc modo reddatur destituta: liceat mihi summorum Virorum pace etiam in eo ab iis dissentire; praesertim cum isto modo omnes omnino *Disciplinae in Lexicon aliquod Reale* similiter conuertiqueant. *Posteriores* vero opinionem acriter olim aduersus Aristotelem defendit P. RAMVS; quocum & ipsum PHILIPP. MELANCTONEM non nihil in eo consensisse, ex *Chytraeo* retulit supra nominatus Celeb. *Thomasius*, *Histor. Metaphys.* §. 20, sequ. vbi & hoc ipsum occasionem dedisse coniicit, quod in plerisque *Academiis Dialecticae Professioni Metaphysica* fuerit coniuncta. Eandem sententiam subtiliter etiam tuetur HENR. MORVS *Enchir. Metaphys.* Part. I. c. II. vbi *Notiones Generales Metaphysicas* venditat pro *λόγοις Dialecticis*, quos tanquam *omnium uniuersalissimos* in re qualibet contemplanda possimus adhibere. Sed longe fallitur in eo Vir Doctiss. & *Generalia Cognitionis Fundamenta*, quae *Metaphysica docere debet,*

bet, cum *Generalibus cognitionis Instrumentis*, quorum vsum debet docere Logica, (sicque & ipsam *Scientiam primam cum communi Scientiarum organo*,) ad Rami exemplum itidem confundit. Qui error etiam ex eo multum confirmatus est, quod in tractatione *Praedicabilium & Praedicamentorum*, atque *Topicae*, plura sint per anticipationem quandam ad *Logicam* perperam relata, quae soli *Doctrinae Ontologicae* rectius fuissent reseruata. Tametsi autem & *Socrates* Philosophiam hancce primam ad *Dialecticam* antiquitus retulerit; videtur tamen & ipse non satis certo in eo sibi constitisse: id quod clare apparet ex *Platonis Phaedro*, edit. Wechel. pag. 1234, vbi *Socrates de Dialecticis* in latiori significato acceptis, *Atque eos, inquit, qui id facere possunt, rectene an contra cognominem, Deus ipse nouit; uoco autem haecenus Dialecticos.* Qua de re conferri etiam meretur *Scaliger Exercit. I. ad Cardanum c. III.* vbi dicit, *Platonem de Rebus Metaphysicis non agere ut Dialecticum, sed ut Metaphysicum dialectice.*

§. XXVII. At videndum porro, quomodo *Primae nostrae Philosophiae* etiam cum *Doctrinis* aut *Disciplinis aliis* conueniat, quae ad eandem videntur propius spectare, & à quibusdam etiam referti solent. Talis certe est *Disciplina illa Generalis*, quam *Cl. Titius, Ictus Lipsiensis*, in *Art. Cogitand. c. XIX.* introducendam commendauit; & ad quam ipse *Ontologiam* quoque nostram certo modo pertinere statuit. Sed si liberius mihi liceat dicere, quid sentiam: existimarem, *Prothecriam istam Eruitionis Vniuersae*, qualem (veluti huc pertinentem) l. c. §. VI. ipse etiam designat, (cuiusque specimen aliquod publicae luci ac censurae à me ipso quoque fuit expositum,) à *Viro Doctissimo non satis commode cum ipsa Metaphysica coniungi*; utpote quae qua ratione separatim sit tractanda, & *Theoreticae* tantummodo *Philosophiae* tanquam *Pars eius Generalis* praemittenda, ex ante dictis abunde poterit constare. Singularem porro opinionem fouit *Fr. Baco Vervlamius*: quippe qui *Libr. III. de Augment. Scientiar. c. IV.* *Philosophiam aliquam Primam, communemque Scientiarum veluti Parentem*, mecum equidem admittens, eam tamen *Metaphysices* nomine insigniri renuit, ac *Metaphysicam* facit *Partem* quandam *Philosophiae Naturalis*, quae *Rerum Naturalium Causas Formales & Finales*, sicuti *Physica Materiales & Effectrices*, debeat scrutari. Sed fateor, & hanc Sententiam habere aliquid incommodi: cum *partim* *Genera Causarum* praeter *Necessitatem* hoc modo separentur; *partim* etiam vix vlla sufficiens ratio appareat, cur admodum sibi affinis haec gemina tractatio diuerso nomine *Physices* ac *Metaphysices* insignienda foret. Nec minus fuit singularis

ANTONII MIRANDVLANI AEGIDIQVE ROMANI de Metaphysica, ad vltimas vsque Rerum Species extendenda, Opinio; de qua, hanc *Generalem Disciplinam cum Specialibus perperam miscente*, videatur IACOB. THOMASIVS Histor. Metaph. §. 46, 47. De *MATHESI* autem *VNIVERSALI*, an & illa, propter maximam Obiecti sui latitudinem & vniuersalem Vsum, cum ipsa quoque *Prima Philosophia* debeat conuecti; de eo quidem dubitare vix possum, cum *Quantitas* seu *Extensio generatim spectata*, commodeque explicata, inter *Transcendentalia* habere locum omnino videatur, nec possit ad *Logicam*, (quod Cel. WEIGELIVS videtur voluisse,) adeo commode referri. Sed cauendum tamen erit, ne *prima Mathesis Theoretica* confundatur cum *prima Practica*. Similis quoque est ratio de *SOMATOLOGIA & PNEVMATOLOGIA* seu *Contemplatione Corporum Spirituumque Generali*; quam propter eosdem *transcendentiales respectus* ad *Primam Philosophiam* itidem referre malim, & *utriusque obiecta specialia Philosophiae Specialiori* putarim reseruanda esse. Hinc quod *THEOLOGIAM NATVRALEM* porro attinet: illa à *Philosophia Prima* separatim est tractanda, & nobiliorem *Philosophiae Theoreticae Specialis Partem* merito constituit. De *Angelis* autem & *Mentibus* in altera *Specialis Philosophiae Parte*, quae *Creaturas* respicit, commodissime agendum fuerit. Vnde iam etiam constare potest, quo loco *Metaphysica CARTESII & eius SECTORVM*, (quales sunt ANTON. LE GRAND, & CORN. BONTEKOE, alique,) quatenus illa de *Deo & Spiritibus* agit, haberi debeat. Cum eadem & *Metaphysica HENR. MORI* quadantenus conuenit; in plerisque autem ab ista quoque discedit, & *Pneumatologiae* plura admisceat *Ontologica*. *CABBALISTICA* tandem quae sunt: ista partim ad *Theologiam*, (seu *Metaphysicam*, Sensu Aristotelico acceptam,) partim ad *Physicam*, minime autem ad nostram *Ontologiam*, videntur pertinere. Idem fere esto iudicium de FRANC. GEORGII VENETI, *Minoritae*, *Canticis tribus*, de *Harmonia Mundi totius* ad *Clementem VII.* scriptis, Venetiisque anno 1525. in folio editis, ac singularem spirantibus doctrinam; itemque de NICOL. NANCELII, *Trachyeni Nouiodunensis ac Medici*, *Analogia Microcosmi ad Macrocosmum*, Lutetiae Parisiorum 1611. in folio emissa, atque de aliis istiusmodi rarioris notitiae Libris. Qui cum *diuersorum veluti Systematum Analogiam* contemplantur: eo ipso videntur esse *quaedam veluti appendices totius Philosophiae Theoreticae*. Sed propius ad *Ontologiam* nostram videntur spectare IOANN. SCOTI ERIGENAE de *Diuisione Naturae* Libri quinque, diu desiderati, & A. 1681. Oxonii è Theatro Scheldoniano in folio publice emissi.

§. XXVIII. Vtut vero, secundum haec exposita, *Theologia Naturalis* ad Ontologiam nostram stricte non pertineat; & SAMVEL quoque MARESIUS, pro autoritate Theologica, in Praefatione ad *Distinctiones Castanaei*, eiusdem profitendae facultatem Primae Philosophiae Professoribus, affectu suo ductus, (cuius indolem *Paulus Voetius* descripsit.) aegre velit concedere: est tamen ipsis haec sparta iam longa satis & crebra possessione atque publica etiam Legum Morumque autoritate dudum confirmata, nec omnibus Philosophis ista in res Theologicas illicitis modis irrumpendi temeritas, de qua Maresius conqueritur, attribuenda. Eo ipso autem dum quaerimus, quousque *Metaphysicis* liceat esse *Theologis*: enascitur nobis & altera quaestio, quousque *Theologis* liceat esse *Metaphysicis*; vel quod perinde erit, quis nostrae *Disciplinae* possit VSUS THEOLOGICVS adscribi. Notum enim est, quod communis illa iam dudum inualuerit sententia, acsi inter omnes *Philosophicas Disciplinas* vix esset vlla alia, quae sit *Theologiae* tanta necessitudine coniuncta, quam quidem haec nostra doctrina *Metaphysica*. In cuius rei causas si quis forte inquisuerit: variae solent adduci, quae à rebus *Metaphysicis* partim in S. Textibus, partim in Mysteriis Fidei haud raro occurrentibus, & vtrisque vel interpretandis, vel adstruendis & contra Haereticorum varios insultus defendendis, horumque technicum intelligendis tum euertendis, seruientibus, sentimus deriuari. Hunc Vsum *Metaphysicis Theologicis* ostendere voluit inter Pontificios ROB. BARONIUS in *Philosoph. Theolog. Ancill.* inter Reformatos MARESIUS in *Notis ad Castanaeum*, nec non ipsius aduersarius PAULUS VOETIUS in *Philosoph. Prim. Reformat.* & Nostratibus MEISNERVS in *Philosoph. Sobria*, GRAEFFIUS in *Philosoph. Vniuers.* CALOVIUS in *Metaphys. diuina*, KESLERVS in *Metaphys. Photin.* RVDRAFFIUS in *Philosoph. Theolog.* IOH. WEISSIUS noster in *Praefat. ad Compend. Metaphys.* VELTHEMIUS in *Institut. Metaphys.* & plures alii alibi, quibus è recentioribus addi quoque possunt DAN. GVIL. MOLLERI, Prof. Altdorf. *Disputat. de Terminor. Metaphys. Vsu in Theolog.* atque IOH. HENRICI POSEVITZII *Metaphysica Theolog. Lips.* 1695, in octau. edita, vt illa taceam, quae Rostochii circa *Metaphysicam Biblicam* meditatam esse ZACH. GRAPVLI, *Noua Maris Balthici Literaria* de A. 1702. retulisse memini. Id quod in maiore partem vertens supra §. XXIII. allegatus ANONYMVS Satyricus, *Metaphysicam germanice die Hochbetraute Leib-Magd oder Kraumer-Zungfer der Theologiae Terminiloquae*, idcirco appellauit. Et diffitendum sane non est, quod in hoc ipso Vsu *Theologico* grauissimi quoque: Abusus haud raro

rese

sese prodant; & quod merito debeat *Metaphysica haec intemperies per pias*  
*admonitiones* cohiberi, quarum ex IAC. FOCANI Dissert. de Studiis, (unde  
 & GVIL. AMESIUS aliquas aduersus *Metaphysicam* videtur *Obiectiones*  
 petiisse.) *insigniora quaedam loca* excerptit Celeberr. RECHENB. de Studiis  
 Academ. Sect. II. c. II. vbi in simili Materia etiam prouocat ad SECKEN-  
 DORFFII *Christen-Staat* L. III. c. VIII. Quibus ego quidem iam nihil  
 addo, quam hoc vnum: quod, sicuti in *Rebus Civilibus & Naturalibus*  
*inepta plerumque fit Metaphysicae Doctrinae Applicatio*, si *viuo istarum*  
*Rerum Sensu* sumus destituti; ita quoque in *Theologicis* perinde id se habe-  
 re, & multo periculosius ac turpius peccari sit existimandum. A quibus cer-  
 te & illa longius abesse debet *Immoderatio*, qua fit, vt *Theologia* iuxta  
 cum *Philosophia* nostris se debeat affectibus aut praeiudiciis accommo-  
 dare. Vsum porro *Metaphysicae IVRIDICVM* ex antiquioribus BARBO-  
 SA, CVBACHIUS, GREGORIUSQUE THOLOSANVS in Syntagmate, ex  
 recentioribus autem CHRIST. WEIDLINGIUS in *Philosoph. Iuridic.* atque  
 IOH. CHRISTOPH. HARTVNGIUS in *Metaph. Iurid.* ostendere prae aliis  
 annisi sunt; cuius quoque posterioris de hoc argumento imprimis legi de-  
 bet cap. I. §. VIII, seqq. Credo autem, quod aequae in *Iurisprudentia* ac in  
*Theologia* huius Doctrinae tam *Abusus* quam *Vsus* pateat longissime: &  
 quae praesertim ex nimis adstricta *Methodo Causarum* nasci in ea soleant in-  
 commoda, nuperrime ostendit Cl. BOEHMERVS in *Method. Disput. &*  
*Conscrib. Disputat. Iuridic. Membr. II. c. III. p. 126, seqq.* Hinc liberiori  
 hodie *scribendi genere* delectantur Icti quidam celebratissimi; vti suo  
 exemplo sequentibus aliis praeiuit Illustr. PUFENDORFIUS, qui, etsi in  
*specimine controuerf. c. V. §. XXVII. Eridis Scandicae p. 307.* iuueni-  
 libus annis, & cum studia impetu potius quam iudicio tractaret, non pau-  
 eas bonas horas in ea *Philosophia*, cuius pulchritudine VALTHEMIUS attoni-  
 tus stuperet, se perdidisse scribat, quinimo & *Ienae olim, illo ipso Museo,*  
*in quo Stahlus Animam exhalasset, vtens, quotiescunque respirasset, ato-*  
*mos quasdam Distinctionum & Terminorum Metaphysicorum,* quibus aer iste  
 pertinacissime fuisset infectus, *deglutire sibi visus sit, postea tamen diuer-*  
*sium Coelum ait, vulueres istos vltro discussisse, & ex tota illa Scientia id praeci-*  
*puum remansisse, quod sciat, istum, qui eam scit Solam, nihil scire.* Quod  
*Somma aegre ferens D. VALENT. ALBERTI, in Erotico Lipsico p. 5. Pufen-*  
*dorffio* opponit exemplum GROTII, qui referente BOECLERO in concin-  
 nando eximio opere de I. B. & P. etiam ope *Scientiae Metaphysicae* dicatur  
 vltus esse: quem sane *Grotius* erga hoc studium affectum non tantum quo-  
 dammo-

dammodo declarat *Epistola ipsius ad Beniam. Maurer.* sed magis quoque & hoc, quod GILBERT. IACCHAEVS *ipsius suasu & autoritate A. 1616.* suas Primae Philosophiae Institut. primum ediderit, primusque fere inter Belgas, (sed quo succellu iam non dico,) *instaurator Doctrinae Metaphysicae* extiterit. De VSV huius Doctrinae MEDICO an aliqui etiam ex instituto scripserint, mihi non constat. Loquitur tamen res ipsa, quod & *Medicis in causis morborum distincte recensendis, atque in omnibus demonstrationibus tam medicis proprie dictis, quam physicis, principia Doctrinae nostrae debeant necessario respicere; ut quae commune & ultimum omnium demonstrationum esse fundamentum, iam supra fuit annotatum.* Imo non solummodo *Entis, sed quoque Non-Entis* apud Medicos haberi rationem; docet Celeberr. ETTMULLERVS in breui ac neruoso Epilogo Colleg. Chymic. quo suam de *Non-Entibus Chymicis* sententiam scite ac modeste declarauit. Tandem de VSV eius PHILOSOPHICO dicere vix opus est: cum ille tanto quidem magis sit in aprico, quanto magis hanc Disciplinam *ad prima cognitionis humanae fundamenta* pertinere iam euictum est. Estque & hoc ipsum tanquam singulare aliquid hic obseruandum, quod *non tantum Principalis, sed ipsa quoque Instrumentalis Philosophia* vbique fere eam respiciant; quod ipsum etiam *Scriptori personato, & Metaphysicis* parum alias fauenti, qui REALEM DE VIENNA se vocauit, confessionem hanc extorsit, vt, licet eam pro *separata Disciplina* non agnosceret, ipsam tamen in discursu suo p. 60. & p. 102. *meliozem ac saniozem, nec non certiozem & ad ipsius Physicae Praeliminaria pertinentem Logices Partem* appellauerit. Quare licet *Entis* fortasse etiam ex eo nulla videatur esse *Scientia*, quod *Notio illius aliis Rebus nihil omnino addere, ideoque & perinde esse videatur, siue dicatur Homo siue Ens homo;* sicuti hoc ipsum dubium crebro apud Aristotelicos occurrit: facile tamen id soluetur, dummodo attendamus, & hic fallaciae aliquid subesse. Nam etsi verum sit, quod *Entis Idea* eatenus nihil addat *Rebus Specialioribus, quatenus est ea omnibus communis:* tamen ex hoc ipso minime sequitur, quod v. gr. *Ens & Homo* formaliter sint prorsus vnum atque idem; cum certe *duo hi termini* non possint simpliciter conuerti; vt vt alias in concreto vel subiectiue spectati recte dicantur identificari. Neque vero & *Terminorum Barbaries* debet Utilitati huius studii sine vilo discrimine opponi. Partim quia haec in multis correctionem admittit; partim etiam, quia non semper *verborum, sed sensuum* conditio spectanda est. Quam in rem HENR. LVDOV. CASTANAELVS, Comes Rupipozaeus, & Pictauior. Episcop. (quem nonnullo

Virtutis elogio etiam *Maresius* condecorat,) in Praefat. ad *Distinct. Philos. Theolog.* satis prudenter scripsit; quod, sicuti praedura ossa medullas, rigidi silices scintillas, quae attritu minimo, (seminaria vi quasi in foetus igneos erumpente,) extunduntur, in se fouent & cohibent; sic quoque *Barbaries primigeniae Philosophiae succulentam* habeat corticem, & verborum modulis rigescens brevioribus, tantillum nisu mentis tenuata, spargat felicissimo proventu rerum succos, & sensuum segetem uberiore. Quinimo & propter nimiam elegantiam sermonis non profus debemus Terminos omnes Philosophicos omnino auersari. Similes enim illi, (quod bene *Maresius* iudicat,) sunt cifrae numeralibus aut notis & characteribus Medicorum, quibus paucis & concise id denotamus, quod alias non nisi longa verborum circumlocutione & per varias ambages posset explicari. Pertinetque huc speciatim insignis locus *QUINTILIANI*, qui *L. VIII. c. II.* *Multa*, ait, *ex Graeco formata noua sunt*, vt *Ens & Essentia*, quae, cur tantopere aspernemur, nihil video, nisi quod iniqui iudices aduersus nos sumus, ideoque paupertate sermonis laboramus. De quo ipso argumento conferatur etiam *SENECA* Epistola *L VIII.* ad quem quoque prouocat *IOH. STURMIVS* in Praefat. ad *Doletum*: sed quod eo tamen minime est extendendum, ac si *CARAMVELIS* iam superius notata in loquendo insolentia hic nobis imitanda esset.

§. XXIX. Quid igitur tandem de *DIGNATIONE & PRETIO* Disciplinae huius decernendum nobis erit? postquam de ipsius *Vtilitate ac Necessitate* sententiam nostram exposuimus. Multi sane sunt & *Honorifici & Contumeliosi* eiusdem Tituli: quorum nec hos nec illos nostros in vniuersum facimus. Optime vero iudicat *Seneca*: iniuriam iniuste (in laudando aut vituperando) irrogatam eius vel infamiam esse vel infamiam, qui fecit. Notum autem est, qua ratione haec nostra Disciplina, praesertim apud *Aristotelicos*, dicatur *Philosophia ac Sapientia* simpliciter, imo omnium *Scientiarum Regina Princeps ac Domina*, earumque & *Architectonica*; quae *Elogia HUNDESHAGENIVS* in Praef. ad *Tabb. Metaphys.* eo vsque extendit, vt dicat, hanc Disciplinam hoc esse in Schola inter *Scientias*, quod est *Sol in Coelo inter stellas*; idque ex eo potissimum deducit, quod ea omnibus omnino *Disciplinis lucem suam foeneretur*, & omnes suam claritatem ex *Primis his Principiis* accipiant. Has tantas autem laudes, (quas puto excusari posse, si ipsa quoque *Theologia* ex mente *Aristotelis* sub *Metaphysica* praecipue sit comprehensa,) aegre & indigne de sola *Ontologica Doctrina* ferentes alii, diuerso plane modo de ea sentiunt: quando concedunt quidem, esse eam habendam pro *Regina*, sed inter illas *Disciplinas*, quae sat-

agam



agant circa commenta astutorum ac otiosorum hominum distinendis ingeniis, ne ad solidam rerum cognitionem adspirent; quo Sensu & PYFENDORFIVS in Eride Scandica p. 228, sequ. eandem vocat Serenissimam ac Potentissimam illam Reginam, quae sit veluti fidum Barbarie tutelare Numen. Alii dicunt, esse eam inter Scientias, quod sit Crembalum inter Instrumenta Musica, & Crembalum proinde vocant philosophicum. Alii eam vocant einen Metaphysicalischen Enten-Schwarm oder Enten-Gequäcchel / atque huc trahunt vaticinium LVTHERI von den blauen Enten / de quibus post ipsius mortem publicae iterum habendae forent Conciones. Alii eam vocant ψευδώνυμον γνώσιν & Philosophiam Διαβολόπνευσον, item eine Grillen-Fängerey und Lügen-Disciplin, quae sit mera quaedam illusio, qua possint ex Nihilo fieri Omnia, & Omnia ex Nihilo; item quae comparanda sit cum Nucibus aculeatis, (mit denen Stachel-Nüssen!) & de qua ille posset quam optime mereri, qui postremam ipsi daturus esset Vnctionem: vt taceam Inscriptionem Satyricam lapidarem in Metaphysicum Gryllicapientem, quae reperitur in dem Lust-Redner / qui Martisburgi an. 1689. prodiit; & plura alia Satyricorum Scommmata. Quae etsi de Metaphysica in suis Abusibus spectata citra iniquitatem dici posse haud repugnem: iniquum tamen foret, si ex solis Abusibus de eius Dignatione iudicium ferendum esset; vtvt ingenii humani intemperies in istos Abusus sit admodum procliuis. Esset vero & hoc non minus pro iniquo reputandum, si Elogia eidem tribuantur, quae sint ipsius meritis maiora. Equidem recte hoc ipsi tribuit SCHEIBLERVS, quod tanta sit ipsius, (si sane ac sobrie tractetur,) Vtilitas atque Necessitas, vt sine ea ad Rationalem veri cognitionem perueniri in nulla alia Disciplina possit: in caeteris autem Elogiis maioribus eidem non subscribo. Primam eam agnosco esse Philosophiam, sed non Primariam aut simpliciter talem: neque tamen tantummodo Instrumentalem eam esse dixerim, vti vit summus IAC. THOMASIVS existimat; sed Fundamentalem inter illas, quae in Oppositione ad Instrumentalem dicuntur Principales. Sapientiam, prout ea est omnium Habituum Intellectualium complexus, vocare eam non sustineo; sed Intelligentiam potius, seu Habitum Primorum Principiorum, appellare malim; certoque modo Scientiam, vocabulo latius accepto. Pro Regina (quod Axioma soli Theologiae competit,) eandem non agnosco, nec Imperium eidem tribuo Theoreticum, quippe quod nullum est, nisi improprie admodum accipiatur. Si quis autem Basin & Coronam h. e. commune Fundamentum atque Tectum totius Philosophiae, huiusque veluti Sanctionem funda-

*mentalem*, eam dixeris: facilior, credo, praebere poterit assensus. Vnde & iam sua sponte fluit, quod ipsa pro *Sole ipso* nequeat haberi; bene autem pro *primis veluti Radiis*, aut *primis veritatibus*, quibus diuinum in nobis *Lumen Intellectui nostro actiuo* sese manifestat. (Conferatur §. XV. circa fin. collatus cum §. XXIII. circa princip.)

§. XXX. Restat igitur hoc vnum, vt de huius quoque Doctrinae STUDIO & CVLTU, qui eius *Dignitati & Pretio* respondeat, nonnihil adhuc proferamus. Vbi *TRIA* quidem sunt, quae possunt sub *Cultu illius* comprehendi: 1. *Historia*, seu quomodo excolta sit; 2. *Methodus*, seu quomodo excoli debeat; ac 3. *Adminicula*, seu quomodo excoli possit. De *HISTORIA* parum est, quod habemus; si eam spectemus in *tanta latitudine*, vt omnium sectarum tam *Gentilismi*, quam *Iudaismi & Christianismi*, *Historiam Metaphysicam* complecteretur; cuius certe haud paruus extaret scribendae Apparatus. *Historiam* tamen aliquam *variae Fortunae*, quam *Disciplina* haec iam *sub Aristotele*, iam *sub Scholasticis*, iam *sub Recentibus* experta est, pro more suo accuratissima diligentia conscripsit Vir. Doctiss. IAC. THOMASIVS, eamque suis *Exotematibus Metaphysicis* in fine addidit; cum qua maioris illustrationis ergo debet omnino etiam conferri Eiusdem *Schediasma Historic. de Veteri Definitione Philosophiae*, quod primum prodiit Lips. 1665. in quart. & postea sub titulo *Originum Historiae Philosophicae* à Celeberr. ipsius Filio Halae 1699. in octau. fuit denuo editum; *scriptum*, vt omnia huius Viri, *lectu dignissimum*. Aliqua etiam huc pertinentia habet CHRISTIAN. DREIERVS, cum in *Praefatione* ad Dispp. de *Prima Philosophia*, Regiomonti 1644. in quart. editas, tum quoque in *ipsa Disput. I.*, qua de *Origine & Progressu Philosophiae* agitur, quae cum & III. est conferenda, quae agit de *Natur. & Constitut. Philosoph. Prim.* Habent porro & R. RAPINVS, in *Reflexionibus ad Metaphys.* atque etiam (ni fallor) STEPH. CHAVVINVS in *Lexico Rationali s. Philosoph. Thesaur.* sub nomine *Metaphysicae*, nec non prae istis Celeberr. GEORG. PASCHIVS, in *Inuent. Nou-Antiqu. c. II. §. XII. seqq.* aliqua huc spectantia, & lectu non indigna, quae possunt hinc conferri. Memorabiles vero imprimis sunt *TRES INSIGNIORES* illae *Periodi*, quibus *inde à tempore Reformationis* de *Disciplinae huius Dignatione* publice fuit actum. *PRIMA* spectat illa, quae sub *Carolo studio & Anabaptistis*, itemque sub *P. Ramo* eiusque *Sectatoribus* Sec. XVI. aduersus *Metaphysicam* sunt acta: *ALTERA*, quae adu. eandem sunt acta sub *Dan. Hoffmanno, Wenceslao Schillingio, Guiliel. Amesio, & aliis*, (sub quibus suo modo *Sociniani* quoque

&

& Quakeri comprehendi poterunt,) Sec. XVII: ac TERTIA denique, quae hoc nostro Sec. XVIII. sub motibus, quas dicunt, Pietisticis, in bonam ac malam partem accipiendis, fuere acta, atque nunc etiam aguntur. Multa sane aduersus *Metaphysicae Abusus*, praesertim *Theologicos*, grauissime sunt disputata: quod inter alios in editis *Concionibus Metaphysicis, Ecclesiae Metaphysicae visitatoriis*, & in *Tract. de Notitiis Naturalibus*, prae aliis faciens nominatus modo WENCESL. SCHILLINGIVS, (Vir doctus equidem ac pius, ac spiritu quodam fanatico minime ductus,) etsi multorum odium & publicas inuectiuas hoc ipso in se concitauerit, atque etiam in aliquibus, (vti & ipsius *Aduersarii*,) errauerit; tamen multas quoque utilissimas detexit veritates, & ab illis, qui sobrie & caute volunt tractare *Metaphysicam*, (praesertim si & *aduersarii ipsius IAC. MARTINII scripta* simul conferantur, & *personalia seponantur*,) cum fructu & studio legendus est. Atque idem quoque censeo de AMESII *Disputat. Theolog. aduersus Metaphysicam*, quibus quatuor alias opposuit EBELIVS noster, quae omnes inter ipsius *Opera* leguntur; sicuti & Excellentissimus noster Collega DN. D. IOH. BARTH. RVDIGER, cum philosophicam adhuc ornaret spartam, recentioribus quibusdam *adu. Metaphys. insultibus* in edito quodam *Programmate* an. 1704. doctas suas opposuit *vindicicias*. Circa omnes enim huc pertinentes controuersias utramque partem audiendam, sed partium tamen studio haud indulgendum esse censeo. Caeterum singularis quoque est *Historia*, qua fertur Rex Magnus Sueciae, GVSTAPHVS ADOLPHVS, non solum prohibuisse, *Metaphysicam in suis Regnis doceri*, sed fisco etiam adiudicasse omnia *Metaphysicorum Scriptorum Exemplaria*, quorumcunque forent *Autorum*, quae in suas *Ditiones* aliunde inueherentur. Memorat & laudat hoc factum, tanquam *licentiae nimiae philosophicae in Theologicis oppositum*, SAM. MARESIUS in praefat. ad *Distinct. Castanaei*, unde PASCHIVS quoque l.c. illud desumit: sed nullum tamen huius rei testem Maresius adduxit. Eiusdem etiam meminit RVDRAUFFIVS noster *Philos. prim. errant. Diatr. I. thes. I.* & prouocat ad *Prodromi Panosophici Autorem*. Est ille IOH. AMOS. COMENIUS, qui libri citati §. XIII. hoc ipsum factum, (ad quod Rex *atra conuictantium bile* seductus fuisse *Rudrauffio* visus est,) Regi GVSTAPHO ADOLPHO, (quem caeteri tantummodo GVSTAPHVM vocant,) expresse tribuit, additque, quod publico eius *Edicto omne Metaphysicae studium ex toto ipsius Regno fuerit exterminatum*, adeo quidem, ut nemo subditorum tales libros vel legere auderet; idque eum id finem, ne *noua barbarie Regnum ipsius fascinaretur*, & ille in

rebus gerendis disputatores & glossatores vanos pro negotiorum sectatoribus nancisceretur. Hoc ipsum testari dicit IOH. ANGELIVM WERDENHAGEN: sed librum & locum, (quem in huius Introd. Politica, & in Tractat. de Rebusp. Hanseaticis reperire haecenus non potui,) non allegavit. An vera sit Historia aut quibus sit vestita circumstantiis; mihi non constat. Silent de ea, (in quantum hucusque mihi licuit investigare) *Rerum Suevicarum praecipui Scriptores*, SCHEFFERVS, LOCCENIVS, & PVEENDORFIVS; neque etiam in docta illa Disputat. quae de *Gustapho Adolpho* sub Directione ac Praesidio Excellent. Collegae nostri Dn. D. WEBERI hic loci an. 1703. fuit habita, aliqua eius mentio iniicitur. COMENIVS vero, etsi *Metaphysica propter gravissimos Abusus* non indigne haec accidisse, ipse etiam existit et: fatetur tamen, *laudes illas*, quibus ea alias totius Sapientiae *firmissima Basis & splendidissimum Fastigium* vocari soleat, in se, si recte res aestimetur, à veritate haud esse alienas. Pertinet porro huc & illa Historia, quam de *Metaphysica* in Concilio quodam Parisiensi ad rogum & flammam condemnata ex RIGORDO adduxit PETAVIVS Tom. I. Theolog. Dogm. in Prooemio c. III. & ex Petavio PASCHIVS l. c. At sunt tamen qui dicunt, quod *Synodi huius Decretum*, (A. 1209. ea de causa latum, ac si *Haeresis Almerici* ex Libb. *Metaphysicis* fuisset nata,) postea in *Reformatione Academiae Paris.* Autoritate Pontificis Urbani V. per duos Cardinales fuerit correctum, & *Metaphysica* suo nitore & vsui ita restituta, ut Professoribus eam publice praelegere, & examinandis de illa respondere, denuo fuerit permissum. Qua de re confer. IOH. PHIL. BARTENSTEINI, Prof. Argentorat. *Disput. de Metaphys. Praestant. & Vili.* cuius, mihi non visae, *Excerpta quaedam* dant *Acta Litterar. Hamburg.* ad An. 1704. Clementiora longe *fata fortunamque experta* est *Metaphysica* in *Saxonia & Hassia*: qua de re videatur VELTHEMIUS in *Dedicatione Institut. Metaphysicar.*, & SCHEIBLERVS in *Dedicat. Oper. Metaphysici* METHODVS porro *tractandae huius Disciplinae*, & quomodo ea sit vel *perficienda*, vel *docenda*, vel *discenda*, vel *vsurpanda*, ex ante dictis, si probe ea ponderentur, iam sua sponte poterit intelligi. Maxime vero de eo laborandum, ut *Definitionum, & Regularum Metaphysicarum obscuritas & perplexitas*, nec non *ambiguitas & flexibilitas*, è medio tollatur: atque & *verus odor*, (in quo multum se laborasse, at generalissimos tamen conceptus & terminos, utpote non connexos tantummodo, sed *innexos quoque*, ad certum prorsus numerum & ordinem non posse reduci, per experientiam se didicisse scribit CLAVBERGIVS,) eidem concilietur; tum & ad rectum

rectum solidumque *Vsant* tota instruat atque dirigatur. Hanc in rem conferri meretur Dissert. quaedam M. CHRISTOPH. GOTTFR. BARTHI I de *Definit. & Axiomat. Metaphys.* in Academ. Hallens. aliquot ante annos habita. Sic plura quoque huc apprime facientia *utilissima monita* congeffit, ni fallor, Cl. DONATIVS in suis *Animadversion.*, quibus *Regulas Metaphysicas* potiores illustravit, cuius Libri lectionem commendatissimam sibi habere debent, qui *cum accuratone aliqua* in hoc studio versari volunt. Iungi autem cum eodem (praeter *Manuale Philosoph. SCHERZERTIANVM*, praeterque *SCHIEBLERI*, *EBELII*, *PRVCKNERI*, *REEBII*, *MICRAELII*, & aliorum plurium in hoc genere labores,) haut inutiliter poterunt *Regulae Philosophicae STAHLIANAE*, quarum Partem priorem, (utinam & posteriorem,) doctissimis *Dilucidationibus* illustrare aggressus est Vir omni laude digniss. IAC. THOMASIVS, Lips. 1676. in octau. editis, de quibus Cel. Filius CHRISTIAN. THOMASIVS in Praefat. ad Nou. Edit. paterni *Schediasm. Historici* supra allegati non immerito iudicat, quod *hae Dilucidationes*, etsi nihil aliud videantur prae se ferre, quam *Commentationem ad Canones quosdam Metaphysicos*, reuera tamen *magnam partem Fontium Historiae Philosophicae, & Differentiam quatuor praecipuarum Philosophiae Graecanicae Sectarum*, ostendunt & recludunt. Caeterum hic speciatim etiam commendo DAV. SCHRAMI, Viri Clariss. *Leges Philosophandi*, ex MScTo editas Vlmae, 1669. in quibus plura continentur monita, huc quoque facientia: nec dubio, quin & IOH. LVDOVICVS VIVES in suis, (quae mihi iam non sunt a manu,) de *tradendis disciplinis harumque corruptelis Commentationibus*, [una cum plurium aliorum siue *ensuris* siue *consiliis*,] possit hic uti uter conferri. Talia quoque sunt, quae de *primae Philosophiae emendatione* exhibuit Cel. LEIBNIZIVS in Act. Erud. Lipsiens. ad an. 1694. p. 110. & quae de ipsa habet ERH. WEIGELIVS in tract. de *Analyti*, Sect. I. c. III. p. 181. seqq. ut taceam conatus & cogitationes THOMAE C. MPANELLAE, de quibus videatur *Paschius*, Inuent. Nou-Antiqu. c. II p. 44. Venitque mihi hic etiam in mentem *Metaphysica* quaedam *Pansophica* ac *Trichotomica*; cuius olim edendae spem fecit Vir summi & singulari ingenii IOH. AMOS. COMENIVS in edito *Pansophiae Prodromo*, §. 105. seqq. qui prodromus reperitur ipsius Opp. Didact. Part. I. p. 446. Sed an luce viderit promissum illud Opus, aut an adhuc in MScTis lateat; mihi haec tenus non constat. Specimen tamen aliquod istius *Trichotomiae* videtur is, ni fallor, nobis reliquisse in *Vestibulari ac Tripartita Rerum Divisione*, de qua

qua

qua videantur citata Opp. Didact. Part. III. p. 142 quemadmodum & huius Consilii Comeniani fundamenta & rationes singulares legi merentur in eiusd. Prodr. §. 35. usque ad 104. Vtut autem Ternarius per totam Naturam sit admodum conspicuus, & (vti habent Oracula Zoroastris,) luceat in toto mundo Trinitas, atque etiam Democritum sub titulo Triogemae iam olim scripsisse Librum, in quo probauerit, quod omnia ex tribus fiant, doceat DIOG. LAERTIVS: dubito tamen, an haec Trichotomia vbique (praesertim in generali hac Ontologia,) possit habere locum. Fortasse & Tetra-  
tomiam aliqui hinc nobis commendauerint; cuius insigne Specimen dedit WEIGELIVS in sua Tetracty; vt alios taceam, qui Heptatomiam aut alias Partitiones fortasse voluerint praeferrī. Pro Dichotomia certe decerta-  
bunt RAMISTAЕ, quam singularibus iisque haud contemnendis argu-  
mentis adstruxit SCHRAMVS l. c. p. 144, sequ. Magnum fundamentum genuini ordinis Ontologici latet inter alia in recte disponenda Doctrina Topica; quam totam pertinere ad Metaphysicam existimo: cuius fundamenti igno-  
ratio effecit, vt ipse quoque ARISTOTELES Terminis illis Metaphysicis, quos explicauit in L. V. conuenientem in hac Doctrina locum assignare haud po-  
tuerit. ADMINICVLORVM denique Librariorum, quae huius loci sunt, notitiam suppeditabunt illi Scriptores, quos citavi in Protheor. Eru-  
dit. Human. Vniuers. p. 895, seqq. quos inter noua & auctior Editio Polyhistoris MORHOFIANI prae aliis est obseruanda. Speciatim tamen hic conferti possunt GIBERT. VOETIVS, in Biblioth. Studios. Theolog. L. II. c. XIII. RECHENBERGIVS, de Stud. Acad. Sect. II. c. II. RVDRAVE-  
FIVS Philosoph. Prim. Errant. Diatrib. I. Thes. II. IOH. ANDR. SCHMI-  
DIUS in Method. Stud. Philosoph. Part. paedut. §. III. p. 53. seqq. STRVVIVS Biblioth. Philosoph. c. IV. §. VI. seqq. GROSSE RVS, in der Ein-  
zur Erudition Part. II. Dialog. II. p. 148, seqq. usque ad p. 259. nec non ROETENBECCIUS in Log. Vet. & Nou. illis locis, vbi de Rebus Metaphy-  
sicis erudite agitur, & passim varii Scriptores allegantur: quos duos po-  
stremo nominatos Autores huius Doctrinae Studiosis singulariter com-  
mendo. Caeterum & VALENT. VELTHEMIUS in Praef. ad Instit. Meta-  
phys. publicae luci se daturum promisit Apparatum Metaphysicum, seu breuem Disquisitionem de Idoneis ac Necessariis Mediis Adminiculisue, quibus instructi studiosi esse debeant, qui in Academia velint fructum studiorum Metaphysicorum carpere; vbi simul Originem, Progressum & Fortunam Studii Metaphysici, & quaenam scripta ad parandam eruditionem Metaphysicam maxime sint idonea, clarissimorumque Virorum in hanc Philo-

Philo-

Philosophiam merita voluit docere. Sed an lucem viderit promissus hicc mihi que nondum visus Apparatus: id equidem non satis habeo comper- tum. Neque tamen *solis Librariis Adminiculis* haec res conficietur; nisi illi, qui his vti velint, cum *Lectioe Meditationem*, & cum vtraque *solidam* qua- que *Rerum Experientiam* coniunxerint: quo ipso *Rationalis* per *Metaphy- sicam* ad *Specialiora* non potest fieri *DESCENSVS*, nisi *Experimentalis* quoque à *Specialioribus* ad *summum vsque Genus* praecesserit *ASCEN- SVS*. Vnde etiam patet, quod non sit Res adeo facilis, vel etiam rudi- bus quibusque hominibus iam satis expedita, hunc *Habitu Intelligentiae* dignismòdis perficere, *Primorumque Principiorum claros distinctosque pro- ducere conceptus*. Notum enim est, qua ratione hic labor vel *subtilissima exercuerit ingenia*; & qua ratione etiam *PLATO* triginta annorum aetatem idcirco in eo requisiverit, qui velit *accuratori cura & cum subactò prorsus iudicio* in hisce studiis vtiliter versari, in quibus *ingenii humani intemperies, ac intellectus nostri actuositas*, ad varios subtilitatis suae *abusus* est omnium maxime proclivis; cui *reprimendae & intra terminos suos cohibendae* *Cl. POR- RETVS* multa saluberrima consilia prae aliis subministravit.

§. XXXI. Plura vt addam, *temporis & instituti* iam non permittit ra- tio. Puto tamen, quod ita circa *Metaphysicam* me gesserim, vt *partium studio* nihil hic indulgisse videar. Id quod vel ex eo maxime apparet, quod *Disciplinae huius contemptum*, quem *PAVL. VOETIVS* ab eius vel *difficultate*, vel quoque ex *aduersariorum ignorantia*, *desperatione* ac *superbia* solum- modo deducit, ab illius quoque *grauissimis abusibus* potissimum esse de- ducendum, vbique fere inculcauerim. Quare hic iam subsisto, & sicuti à *Viris bonis ac placidis* nullum mihi exinde metuo *cruentum bellum Metaphy- sicum*, quale olim inter *Scholasticos* haud semel fuisse gestum, historia com- memorat: ita Deum quoque precor, vt nos vbique ducat in sua verita- te, sanumque & aequum *de aequo rerum omnium pretio iudicium* Doctoribus illius largiatur, atque sic omnium *Contro- uersiarum* nos tandem videre faciat

FINEM.


\* \* \*

\* \* \*

\* \* \*

G

EPI.



ΕΠΙΜΕΤΡΑ.

1. **Q**uatuordecim Libri, qui sub nomine Aristotelis de *Theologia seu Mystica Philosophia secundum Ægyptios*, vel de *occultiore parte diuinæ Sapientiae* inscripti sunt, quosque laudat Petr. Nicol. Fauentinus, teste Conrado Gesnero in *Biblioth. ad Nom. Aristot.* reiecitque tanquam spurios Fr. Patricius *Discussion. Peripatet. Tom. I. L. III. p. 28.* recte hoc monente *Ioh. Andr. Schmidio*, *Comp. Theol. Natur. p. 12. seqq.* cum *Libb. XIV. Metaphys.* non sunt confundendi.
2. *Libro Duodecim*, qui Graece inscribuntur *Ἄτακτα* seu *Inordinata*, & à Diogene Laertio *Aristoteli* attribuuntur, saluis illis, quae in §. IV. asseruimus, & ipsa fortasse ad *Metaphysicorum Libros* poterunt referri: nisi forte *Miscellaneorum Libri* ita sunt vocati, vt obseruauit *Henr. Valesius* ad *Harpocrationem*.
3. *Substantias ipsas* non posse percipi, sed *sola Accidentia*, ridiculum Scholasticorum est commentum, quos ad easdem percipiendas putamus non tam *Microscopio* quam *Macroscopio* habere opus.
4. *Datur aliquid Ente maius & Non Ente minus*: quod eo ipso *plus* est quam *Aliquid*, & *minus* quam *Nihilum*.
5. *Corpus in infinitum diuisibile* est *Non Ens Mathematicum*, quod fingitur & non existit: nec potest cum *puncto Mathematico* conciliari; de cuius essentiali forma dicturi sumus in conflictu.

NOBI





*NOBILISSIMO & ORNATISSIMO*  
**DN. RESPONDENTI**

S. P. D.

*PRÆSES.*

**Q**uod saepius solent facere, qui Disputatione quadam publica Studiorum suorum aliquod Specimen sunt edituri Studiosi Iuvenes, ut alieno labori suum velint praefigi nomen: illud Tibi quidem, SCHLOSSERE POLITISSIME, ut id imitareris, laudabilis animi tui modestia & ingenuitas haud permiserunt. Non, ac si vel ipse non potuisses aliquid conscribere, quod suo quoque modo publicam mereretur gratiam & lucem; cum certe ad id faciendum neque Ingenio, neque Eloquio, nec bonae etiam Doctrinae Apparatu, destitutus mihi videaris: sed quod magis esse conueniens existimares, si prius in defendendis alienis, quam protrudendis vel adstruendis propriis, virium tuarum caperes experimentum. Cui exsequendo honestissimo proposito tale quoque argumentum delegisti, quo publice faceres testatum, quam aequo erga omnia honesta studia sis animo, quamque libenter illius praesertim Disciplinae Existimationi certioriam tuam velles commodare operam, quae in tam vario honoris discrimine immerito pariter ac merito hucusque est versata. De quo laudabili conatu & publico diligentiae specimine dum publice gratulari Tibi volo: offert se mihi percommode publica quaedam ac huic praesenti argumento admodum conueniens sermocinatio, qua Theologus huius nostratis Academiae Primarius, omnique nobis cum obseruantia deuenendus,

nerandus,

nerandus, cum olim in Academia Rostochiensi Dn. Thomae Paulo Stegero, Lipsiensi, de *Metaphysica Theologiam gradualiter adumbrante* publice disputanti suum commodaret praesidium, hunc suum Respondentem, tam pie quam ingeniose, sequentem in modum allocutus est. *Esse Rerum*, ait, scrutatur *Intellectus*. Ad hoc pertingit, in hoc quiescit; *Est vel non est*: Negat medium. Hinc clamat Ratio, *simul esse & non esse impossibile!* Rotat omnis Cognitio ad hanc Axin: Hoc firmum, - hoc immotum fulcrum. Finge Rerum imo tui Esse ex cogitatione: Fictum erit nisi hoc prius fuerit fixum. En igitur Terminum *Intellectus in Ente*: Non, *Entis in Intellectu*. Illud quippe illimitatae considerationis Limites nescit: Hic per *dependentia ductus ad independens*, limites ponere nequit. Sic *tangit prima: non exhaurit*. Sentit famem insatiabilis indagator: At solidum non praebet cibum Ratio, sed *Reuelatio*. Quibus praemissis, Vtriusque perpendis, ait, Stegere excellentiam, immane quantum distantem. *Rerum quaeris Naturam, non Rationis structuram; In illa Ordinem, non in hac Artificium*: Principia, non Notiones. Inde res tibi es non cum *Logica*: sed cum *Metaphysica*. Absit autem putes, Intellectum penetrare ad mysteria; cogitationem definire Deum. Insuper tibi haec Sapientia; Tenebrae eius Lumen: Umbrula tantum *Metaphysica ad Theologiam*. Vtrumque sic pererrans forum: notum mihi occurrit in noto noti Caesaris dicto Augurium; EX VTROQUE ERIS. Haec tenus Venerandi istius Praesidis verba: quibus *dignam vero Philosopho Theologiam, dignamque vero Theologo Philosophiam*, voluit exprimere: quae cur mea nunc faciam; Tu Amicissime SCHLOSSERE facile equidem colligere poteris. Eandem enim & Tu quoque profiteris *Philosophiam*, ad eandemque & *Theologiam* laudabiliter adspiras. *Vtramque* ut porro confecteris, *utramque* ut porro consequaris; atque sic Honoratissimi Tui PARENTIS pia monita ac vota, quibus paternae, quas saepe ad Te scribit, literae nunquam non refertae sunt, in singulare ipsius gaudium, in inclutae Familiae SCHLOSSERIANAE decus, nec minus in propriae publicaeque salutis commodum, plenissime impleas, ex toto ac sincero corde precor. Hisque meis votis Te nostris Musis cum tanta laude propediem valedicturum, quam optime iubeo valere.

\* \* \* \* \*

Coc. diss. A. 66, m. 71